



Frances
Hofer


Boughtby Lapiccirella Florence fr 7htt 4/61 fr 38.m lire: RV 50 wid. pat.
38000

Typ. has Mme de Pompadour's copy


Carracci, Annibale


References: Brunet I, 1597
Graesse II, 54

[illegible]



ÆDIUM
FARNESIARUM
TABULÆ





Anibal Caracci
Pictor Bononiensis
Natus Anno 1560. obijt 1609

ÆDIUM FARNESIARUM TABULÆ

AB ANNIBALE CARACCIO DEPICTÆ

A CAROLO CÆSIO ÆRI INSCULPTÆ

ATQUE

A LUCIO PHILARCHÆO

EXPLICATIONIBUS ILLUSTRATÆ.



Eq. Petrus Leo Ghezius Inv. et delin — *Fran. Aquila incid.*

ROMÆ, MDCCLIII.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM FACULTATE.

MARCO FOSCARENO
EQUITI
ET
D. MARCI PROCURATORI
AMPLISSIMO.



VENANTIUS MONALDINUS FELICITATEM.



UI de præclaris artibus bene ſentiunt, Marce Eques et Procurator Amplissime, ii rem non modo laudabilem verum etiam utilitatis plenam eſſe fatentur, artificum præſtantiſſimorum monumenta, eaque præcipue, quæ ab iis ſumma elegantia & artificio elabora-

* bora-

borata ſunt, emittere in manus hominum, quod iis, cum artes ipſas incremento aliquo augeri; tum vero homines ad præſtantiam quamdam in eo genere imbui, & præparari videantur. Quamobrem cum in manus meas Tabulæ Annibalis Caraccii artificis celeberrimi perveniſſent, quas ab eo in Ædibus Farneſianis depictas, Carolus Cæſius magni nominis artifex æri inſculpſit; quod non levem duntaxat animi oblectationem, ſed utilitatem plane neceſſariam afferre poſſe intelligerem, eas iterum addito Commentario prodire volui, Tibique inſcribendas putavi; quod in animum induxi meum, ſi Tibi uni mea hæc in bonas artes ſtudia probarentur, fore ea Italis non tantum noſtris accepta, ſed reliquis etiam Gentibus probata, ob famam nominis præſtantiſſimi, & ſingulare judicium tuum. Quo quidem ita abundas, atque flores, ut propterea Senatus, & Patria tua, cum maturiori nondum eſſes ætate: conſiliorum ſuorum participem primum quidem eſſe voluerit; deinde vero, cum difficultatem quamdam temporum pene fatalem impendere, & ea, quæ cogitabat, ſine ſumma prudentia non eſſe tractanda videret, Te delegerit unum, qui apud Cæſarem id muneris Orator ſuſtineres. Nam quæ poſt eam ætatem geſta a Te ſunt virtutis, ſapientiæ, ac prudentiæ plena, cum ad Pontificem Maximum, & Sardiniæ Regem potentiſſimum Legatus miſſus es, quis pro dignitate commemorare valeat, cum iis non modo opinionem viceris omnium, quæ de virtute tua erat, ſed etiam gloriam ſuperiorum? Tu enim, ne Civium tuorum, quorum majeſtatem dignitatemque re-

fere-

ferebas, nomini & splendori quidpiam deesse videretur: res publicas in primis summa dexteritate ac diligentia es persequutus; tum litterarum gravissima studia non intermittens, quibus Te totum ab ineunte ætate dederas, de iis augendis vehementius cogitabas, quod litterarum conditionem optimam omnium non immerito arbitraris. Vides enim quantum in iis momenti sit ad bene beateque vivendum. Cujus quidem rei certissima argumenta atque indicia nobis sunt, cum magnificentissima illa Bibliotheca, quam Tibi magnis sumptibus comparasti, optimis instructa codicibus; tum ea, quæ de litteris ac studiis tuæ gentis abs Te profecta, propter exquisitam eruditionem & elegantiam omnium teruntur manibus; & quæ, uti magnam tibi gloriam conciliarunt, ita Patriæ tuæ judicium gravissimum commendant, cujus extat amplissimum ornatissimumque decretum, quo & in eo, quod scripseris collaudaris, & vero etiam admoneris ad ea publicanda, quæ alteram commentariorum tuorum partem conficiunt. Demum, cum ex cunctis Te delegerit unum, qui res suas perscriberes, ad id quidem vehementissime cohortatur, quod, præter Te, neminem gravius, accuratius, copiosius, & elegantius de iis scribere posse arbitretur. Etsi enim ea sit Reipublicæ tuæ gravitas, ut rebus gerendis potius, quam dictis commendari velit; intelligit tamen pertinere etiam ad laudem suam, & exemplum posterorum, si res ipsæ suæ a prudentissimo, elegantissimoque scriptore consecrentur me-

mo-

moriæ hominum ſempiternæ. Nemini igitur mirum videri debet, ſi tanta tuæ virtutis ac doctrinæ opinio excitarit me quoque, hominem, tibi etiam ob ſingularia tua in me beneficia maxime obſtrictum, ut nullam prætermitterem occaſionem declarandæ obſervantiæ erga Te meæ. Quare Te oro, atque obteſtor, ut præclaras haſce Tabulas, tuo inſcriptas nomini, perbenigne excipias, & me ea, qua ſoles, humanitate ac benevolentia complectaris.





Bassorilievo delle testate del pilo sepolcrale che si trova in casa Monciatti F. Aquila del. et inc.

PRÆFATIO.



Nnibalis Caraccii nomen in pictura magnum ſemper fuit, neque quidquam de ejus celebritate, aut viventium invidia, aut poſterorum detraxit judicium. Probatus enim eſt, cum vixit, omnium eorum, qui in ejus ætatem inciderant, pictorum teſtimonio, qui neque pauci ſane, neque obſcuri fuerunt, & poſt mortem ita celebratus, ut non unus e multis, ſed inter multos fuerit prope ſingularis. Unum enim Raphaëlem Urbinatem ſi excipias, & veteres illos inſignes, quorum famam audimus, opera non videmus, Annibal Caraccius, mea quidem ſententia, is eſt, qui & horum æquaverit ingenium [a], & reliquorum omnium vicerit induſtriam. Sed tanti & tam præſtantis ingenii vis vel artibus exculta omnibus iis, quibus qui deſtitutus eſt pictor, aut nullus eſt, aut certe optimus non eſt, vis, inquam, illa elucet maxime in iis picturis [b], quæ a nobis evulgantur, atque explicantur. Nihil in iis durum, nihil inſolens, nihil eſt in multitudine formarum, quod ſatietatem afferat ſimilitudinis, nihil in varietate rerum, quod vel decori leges tranſiliat, vel ordinis concentum quemdam non ſervet: perfecta naturæ imitatio, ſumma artis pulchritudo, colorum temperatio, conformatio lineamentorum, ſingulorum diligentia, universi ſpecies, antiquitatis cognitio, humanorum peritia affectuum, omnia denique in iis picturis præclara, & quæ etiam perfecta non dubites dicere. Eſt ille

* * qui-

a Baldinucci Notizie de Profeſſori del Diſegno pag. 76. Firenze 1702., Felibien Entretiens ſur les Vies des Peintres t. 3. pag. 257. Trevoux 1725., Vittoria Oſſervazioni ſopra il Libro della Felſina Pittrice pag. 45. & 47. Roma 1703., Bellori Vite de Pittori pag. 64.

b Baglioni Vite de Pittori pag. 107. Roma 1642., Bellori Vite de Pittori pag. 43. 67., Felibien t. 3. pag. 257, Piles Abregè de la Vie des Peintres pag. 298. Paris 1715., Malvaſia Felſina Pittrice part. 3. pag. 437.

quidem conſilio uſus Jo:Baptiſtæ [c], qui Cardinalis Hieronymi Agucchiæ frater fuit. Erat enim ſumma vir eruditione [d], hiſtoriarum & fabularum peritiſſimus: neque tamen Annibal ipſe ab harum rerum ſtudio abhorrebat [e], Auguſtini fratris inſtituto [f], & diligentia ſua. Quid ego nunc mirer in Civitate harum omnium rerum refertiſſima; nihil tam ad viſendum expeti a peregrinis, quam ejuſmodi Annibalis picturas? Aut Odoardum Farneſium Cardinalem [g], cum domum ſuam celeberrimam, & magnificentiſſimam locupletare vellet egregiis picturis, hunc potiſſimum adhibuiſſe, qui tum longe cæteris excellere pictoribus exiſtimabatur? quamquam hoc loco non poſſum non queri, & deplorare cum Annibalis propriam, tum communem ſemper bonarum artium fortunam, & calamitatem. Qui enim præmio dignus erat ampliſſimo, & propter famam nominis, & propter operis præſtantiam, tenuiſſima mercede remuneratus eſt. Nam cum annos ipſos octo [h] in tam illuſtri labore deſudaſſet, 500. tantum aureos accepit [i], præmium illiberale ſane & ſordidum rei tam excellentis atque operoſæ. Dicitur Cardinalis Odoardus minus magnifice, quam natura ſua ferebat, & benigne egiſſe cum Annibale, quod fuerit a Joanne Caſtrenſi [k], barbaro homine, atque inculto invidioſe depravatus; quorum hominum generi, neſcio quo bonarum artium fato, facilius ſemper patent aures Principum virorum. Quod vero homini viventi patroni detraxit illiberalitas, cumulatiſſime etiam mortuo dedit poſteritatis præconium. Vigebit enim, omnium memoria ſæculorum, opus tam præclarum, & cum ipſius operis præſtantia, nunquam Annibalis gloria conſeneſcet. Quæ quidem gloria, tametſi cætera deſint, fructus eſt vel maximus ſingularibus ingeniis. Quoties enim, & quam multis in locis, multiſque ab hominibus deſcriptæ ſunt picturæ hujuſmodi, ſculptæ, atque editæ [l]? Quem igitur in iis iterum evulgandis, atque explicandis ſuſcepimus laborem, nemo opinor non probabit, qui, vel elegantiæ erit ſtudioſus, vel ipſius artis pingendi. Harum enim rerum intelligens gaudebit, noſtra etiam ætate, quæ admodum prolapſa eſt a ſtudio artium pulcherrimarum, eſſe aliquem, qui optimorum auctorum famam, operumque excellentiam inſtauret; habebunt autem pictores in explicatione fabularum unde ſuum alant ingenium, & varietatem excitent rerum, in quas intuentes, ad eximii pictoris ſimilitudinem, artem, & manum dirigant.

IN-

c Bellori Vite de Pittori pag.32., Baldinucci Notizie de Profeſſori del Diſegno pag. 76., Piles pag.297., Felibien t.3. p.256.

d Vide Jacobum Philippum Thomaſinum Elog. Illuſtr. Viror. pag. 21., Janum Nicium Erythræum Pinacothec. Viror. Illuſtr. part.3. cap.50. pag. 190. Lipſię 1692., Orlandi Scrittori Bologneſi pag. 151. Bologna 1714.

e Bellori pag. 32. Vittoria pag. 30. 32. 54., Felibien. t. 3. pag. 254.

f Bellori pag.32., Malvaſia Felſina Pittrice part.3. pag.405., Felibien pag. 256.

g Baglioni Vite de Pittori pag.106., Felibien t.3. pag. 253., Piles pag. 296.

h Bellori Vite de Pittori pag.67., Felibien pag.260. t. 3.

i Bellori Vite de Pittori pag. 67., Felibien t.3. pag. 260., Piles pag. 299.

k Felibien tom. 3. pag. 260., Bellori pag. 67.

l Pl ries editæ ſunt Romę poſtquam Vitalis Maſcardus anno 1657., & Joannes Jacobus dę Rubeis illas evulgarunt. Editę ſunt etiam Pariſiis a le Blond.

INDEX SCRIPTORUM.

A

B

C

D

E

Epi-

	Epimenides.
	Eratoſthenes.
Sebaſtianus	Erizzo.
Janus Nicius	Erythræus,
	Evodus.
	Euripides.
	Euſebius Cæſarienſis.
	Euſtathius Antiochenus.
	Euſtathius Theſſalonicenſis.

F

Joannes	Faſoldus.
	Felibienus.
Joannes	Fero.
Sextus Pomponius	Feſtus.
	Fulgentius Placiades.

G

Nicolaus	Galeottus,
Aulus	Gellius.
	Germanicus Cæſar.
Conradus	Geſnerus,
Antonius Franciſ.	Gorius.
Abrahamus	Gorlæus.
Lilius Gregorius	Gyraldus,

H

Joannes	Harduinus.
	Heliodorus.
	Heraclides,
	Heraclitus.
	Herodianus,
	Herodotus.
	Heſagoras.
	Heſiodus.
S.	Hieronymus,
	Homerus.
	Horatius.
Daniel	Hvetius.
	Hyginus.

I

	Jamblicus.
	Ibicus.
Joannes	Jonſtonus.
Paulus	Jovius.
	S.Iſidorus Hiſpalenſis,
	Juba.
Hadrianus	Junius.
	Juſtinus.
	Juvenalis.

K

Henricus	Kippingius.

L

	Lactantius Firmianus.
	Lactantius Placidus.
Conſtantius	Landi,
	Libanius Sophiſta,
Fortunius	Licetus.
	Lucanus.
	Lucianus.
	Lucina ſine Concubitu.
	Lucretius.
	Lycius Olen.
	Lycophron.

M

	Macrobius.
Paulus	Maffejus.
Scipio	Maffejus.
Joannes	Malela,
Carolus Cæſar	Malvaſia.
	Manilius.
	Marmora Taurinenſia.
	Marianus Scholaſticus:
	Martialis.
Joannes	Meurſius.
Claudius	Minois.
Bernardus	Montfauconius.
	Moſchus.
Ludovicus	Muratorius.
	Muſæus.

N

	Nævius.
	Natalis Comes.
	Nauze,
	Nemeſianus.
	Nicander.
	Nonnus Panopolita,

O

Jacobus	Oiſelius.
Jo: Gotfredus	Olearius.
	Oppianus.
Paulus	Oroſius.
	Orpheus.
	Ovidius,
Jacobus	Ouzelius.

Pa-

Joannes	Palazzi.
	Palephatus.
	Palladas.
Carolus	Paſcalius.
Marcus	Paulus.
	Pauſanias.
Jacobus	Perizonius.
	Petrus Damiani.
	Phædrus.
	Pherecydes.
	Philoſtratus.
Manuel	Philes.
	Photius.
	Phurnutus.
	Phylargirius.
Joannes	Pierius Valerianus.
Laurentius	Pignorius
	Piles.
	Pindarus.
	Plato.
	Plinius.
	Plutarchus.
	Poliænus.
	Pomponius Mela.
Joannes	Potterus.
Humphridus	Prideaux.
	Propertius.
	Ptolomæus Hepheſtionis.

Q

	Quintilianus.

R

Thomas	Reineſius.
Hadrianus	Relandus.
Albertus	Rubenius.
Octavius	Rubeus.
Hieronymus	Ruſcelli.

S

Georgius	Sabinus.
Claudius	Salmaſius.
	Sappho.
Julius Cæſar	Scaliger.
Joſephus	Scaliger.
	Scoliaſtes Apollonii.
	— Ariſtophanis.
	— Horatii.
	— Juvenalis.
	— Theocriti.
Lucius Annæus	Seneca Poeta.
Lucius Annæus	Seneca.
	Servius.
	Sidonius Apollinaris.
	Silius Italicus.
Silveſter	Silveſtri.
	Simonides.
Julius	Solinus.
	Sophocles.
Ezechiel	Spanhemius.
Jacobus	Sponius.
	Statius.
	Stephanus.
	Strabo.
	Svidas.

T

Torquatus	Taſſus.
Fridericus	Taubmannus.
	Tertullianus.
	Theætetus.
	Themiſtius.
	Theo.
	Theocritus.
	Theophraſtus.
	Theopompus.
	Thucidides.
	Tibullus.
	Titus Livius.
Joannes	Triſtanus.
Joannes	Tzetzes.

V

Joannes Foy	Vaillant.
	Valerius Flaccus.
	Valerius Soranus.
Marcus	Varro.
Ludovicus	Verthema.
Rudolphinus	Venutus.
Æneas	Vicus.
	Virgilius.
Vincentius	Vittoria
	Vitruvius.
Thomas	Vopkenſius.
Gerardus	Voſſius.
Jacobus	Vvilde.

X

	Xenophon.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.


F. M. De Rubeis Patriarch. Conſtantinop. Viceſg.



APPROBATIO.

QUum Librum, qui ita eſt inſcriptus *Ædium Farneſiarum Tabulæ ab Annibale Caraccio depictæ, a Carolo Cæſio æri inſculptæ, atque a Lucio Philarchæo explicationibus illuſtratæ*. Jubente Reverendiſſimo P. Magiſtro S. Palatii attente legerim, nihilque in eo deprehenderim, quod ſanctiſſimæ Religioni, boniſque moribus repugnet, exiſtimo equidem dignum eſſe, qui in lucem publicam prodeat.

Philippus Bonamicus S. Th. D. & SSmi D. Noſtri Benedicti XIV. Brevium ad Principes Subſtitutus.



IMPRIMATUR.

Fr. Auguſtinus Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

FAR-


Tab. I.
GENVS VNDE
LATINVM
Ann. Caracci Inu.
C. Cesius del. et Sculp. Roma
Arnolde Van Westerhout formis



Bassorilievo d'un pilo sepolcrale, che si troua in casa Mercatti

FARNESIARUM
TABULARUM
EXPLICATIO.
TABULA I.
VENUS, ET ANCHISES.



Enus Vulcani uxor, Martem, Mercurium, Bacchum, atque Adonidem (a) quum deperiisset: & ex Marte quidem Harmoniam (b), ex Mercurio Hermaphroditum (c), ex Baccho Priapum (d) genuisset; tum Anchisen amasse perhibetur, Is patria Trojanus erat, & filius Capyos (e), e progenie Dardani (f), Jovis & Electræ filii (g). Hunc ante bellum Trojanum nemorum latebras, & solitudines quærentem, & in Monte Ida tum forte commorantem, adit Venus, illius amore capta, & se filiam esse Otrei Regis Phrygiæ simulat, quo libidini suæ indulgeat. Neque difficile fuit blanditiarum Deæ pellicere animum Juvenis, qui confestim de lectuli deliciis cogitavit. Rem narrat Homerus eo in hymno, quem in Venerem scripsit (h). Comemorant quoque Hesiodus (i), Theocritus (k), Antipater (l), Apollodorus (m), Lucianus (n), Athe-

A　　næus

(a) Theocritus Idill. xv. 127., Bion Idill. I. 16., Ovidius Metamorph. x. 523.
(b) Hesiodus Theogon. 936., Nonnus Dionysiac. 3. 370., Coluthus de Raptu Helenæ 26.
(c) Ovidius Metamorph. IV. 288., Lucianus Dial. Apollin. & Mercurii pag. 66.
(d) Diodorus lib. 4. Bibliothecæ n. 6, pag. 251., Pausanias lib. 9. pag. 369.
(e) Homerus Iliad. xx. 239., Apollodorus lib. 3. Biblioth. cap. 11. n. 2. pag. 206., Dionysius Halicarnas. lib. 1. Antiquitat. Romanar. pag. 50., Diodorus lib. 4. Biblioth. n. 75. pag. 319.
(f) Homerus Iliad. xx. 215., Virgilius Æneid. I. 620.
(g) Homerus Iliad. I. 215., Dionysius Halicarnas. lib. 1. pag. 49. Servius lib. I. Æneid. 32. & in lib. VIII, 134.
(h) Tom. 2. Oper. edit. Amstelod. 1743. pag. 537. & sequent.
(i) Theogon. 1008.
(k) Idyll. I. 105.
(l) Lib. 4. Antholog. cap. 12. n. 15. pag. 684.
(m) Lib. 3. Biblioth. cap. XI. n. 2. pag. 206.
(n) In Dialog. Deorum n. XI. pag. 231. tom. I. Operum edit. Amstelodami 1743.

næus [a], Hyginus [b], & Servius [c]; quibus addendus Ovidius, qui in Epistola Paridis [d] ita canit.

„ Phryx etiam Anchises: volucrum cui mater Amorum
„ Gaudet in Idæis concubuisse jugis,

Immo apud Tristanum [e], & Begerum [f] duo antiqui nummi habentur, qui hunc Veneris & Anchisæ concubitum exhibent. Eam ipsam fabulam hac in tabula Caraccius spectavit, in qua Venus nuda conspicitur, & lecto insidens, cui Anchises cothurnos exuit. Nam quod illa mammillas panno tegit, indicium id est verecundiæ, quæ ingenuam puellam profecto decebat, qualem se usque tum fuisse, Venus ipsa Anchisæ jam persuaserat; quod ex Homero [g] intelligimus. Anchises & ipse nudus, Venerem intuetur, illam ut oculis comprimere videatur, quod egregie Caraccius expressit. Leonis pellis, quæ ad pedes Anchisæ jacet, vestis est, qua ille contegebatur; nam Heroes Leonum pelles induisse, ostendit Begerus [h]. Veneri proximum Amorem pinxit Caraccius, quo innueret, amoris unius causa, Anchisem illam convenisse; nisi forte eam ob causam depinxit, propterea quod Amor est virtus, ac potentia [i] illius. Amor autem ideo ridet, quia Veneris, seu Amoris congressus non sine risu, ac lætitia esse solent, ut ait Phurnutus [k]; quam obrem Venus, & Amor sæpe ac multum ridentes a Poëtis [l] inducuntur. Denique ea verba: *Genus unde Latinum*: ex I. Æneidum [m] Virgilii desumpta, quæ scamno, quod prope lectum est, inscripta leguntur; Æneam Latinorum parentem [n], atque ducem ex eo Anchisæ & Veneris concubitu natum esse significant. Profecto Æneas apud Homerum [o] se filium Veneris & Anchisæ appellat; id quod Hesiodus [p], Conon [q] Apollodorus [r], Lucretius [s], Hyginus, [t] & alii confirmant.



TA-

(a) Deipnosophist. lib. 13. pag. 566.
(b) Fabul. 94. pag. 87.
(c) In lib. I. Æneid. 621. pag. 396. edit. Venetæ 1736.
(d) XVI. ℣. 201.
(e) Comment. Historiq. pag. 1. tab. 1. & pag. 16.
(f) Spicileg. Antiquitat. n. 22. pag. 38. Coloniæ 1692.
(g) Hymn. in Venerem ℣. 146. & seq. pag. 543.
(h) Tom. I. Thesaur. Brandemburg. pag. 267.
(i) Virgilius Æneid. I. 668.
(k) In lib. de Natura Deorum pag. 56.
(l) Palladas lib. 4. Antholog. cap. 12. Epigr. 56. pag. 700., Crinogorus cit. lib. Epigram. 48. pag. 696., Ovidius II. Amor. 18. 15., I. Amor. 1. 3., & 6. 11., Hesiodus in Theogonia ℣. 25.
(m) ℣. 10.
(n) Videatur Samuel Bochartus in Differtat. de Æneæ adventu in Italiam pag. 1088. tom. 3. Operum Lugduni Batav. 1707.
(o) Iliad. XX. ℣. 208. & 209.
(p) Theogon. ℣. 1008. pag. 479.
(q) Narrat. 46. pag. 293.
(r) Lib. 3. Biblioth. cap. XI. §. 2. pag. 206.
(s) Lib. 1. vers. 1.
(t) Fabula 254. pag. 189.


Tab. II.
Ann Carac. Inu.
C. Cesuis fecit

TABULA II.

LUNA, ET ENDYMION.



Unam, quam alii Dianam [a], alii Proſerpinam [b], alii Hecatem [c] vocant, Endymionem Aëthlii & Calices filium [d] amaſſe, ac pluries e Cœlo in Latmum Cariæ montem deſcendiſſe, ut Endymionem ſomno conſopitum oſcularetur, ex Apollonio [e], Arato [f], Hygino [g], Servio [h], atque Ovidio accepimus. Hos inter, Ovidius ita Heroni ſcribentem Leandrum inducit Epiſtola XVIII. verſu 59.

„ Luna fere tremulum præbebat lumen eunti,
„ Ut comes in noſtras officioſa vias.
„ Hanc ego ſuſpiciens, faveas, Dea candida, dixi;
„ Et ſubeant animo Latmia ſaxa tuo.
„ Non ſinat Endymion te pectoris eſſe ſeveri.
„ Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.
„ Tu, Dea, mortalem cœlo delapſa petebas.
„ Vera loqui liceat; quam ſequor, ipſa Dea eſt.

Nicander quoque, Theopompus, Pherecydes, & Acuſilaus, quos Scholiaſtes Apollonii [i] laudat, eadem tradunt. Quin & apud Gorium [k], ac Montfauconium [l] monumenta quædam habentur, in quibus Luna Endymionem dormientem oſculatura adit. Pauſanias lib. V. [m] quinquaginta filios ex Endymione Luna ſuſcepiſſe dicit; & quidem cum Endymione illam concubuiſſe, Propertius [n] quoque indicat, inquiens:

„ Nudus & Endymion Phœbi cœpiſſe ſororem
„ Dicitur, & nudæ concubuiſſe Deæ.

Plato [o] tamen, Theocritus [p], Cicero [q], & Lucianus [r] cum perpetuo dormientem Endymionem faciant, ſola oſcula Lunæ accepiſſe volunt. Hujuſce eruditionis non ignarus fuiſſe intelligitur Caraccius, qui Endymionem in monte decumbentem exhibet, quem Luna e Cœlo delapſa oſculatur. Endymion habitu indutus eſt paſtorali, nam paſtorem fuiſſe Aratus [s], Scholiaſtes Juvenalis [t], & Fulgentius [u] affirmant; etſi alii [x] regem Ælidis fuiſſe dicant. Baculum propterea

(a) Cicero 2. de Nat. Deor. cap.27., Virgilius Æneid. V.403., Ovidius Metamorph.XV.196., & Seneca Hippolyt. ℣.405. & ſequent.
(b) Servius in 1.Georgic. 39., Fulgent. lib.2. cap. 19. pag. 699.
(c) Albricus de Deor. Imaginib. cap.7. pag.908., Servius in VI, Æneid. 118.
(d) Apollodorus lib.1. cap.7. §.5. pag.26.
(e) Lib. 4. Argonaut. ℣. 57. pag. 62.
(f) In Phænomen. pag. 186. Baſileæ 1535.
(g) Fab. 271. pag. 375.
(h) In 3. Georgic. 391.
(i) Lib. 4. n. 7. pag. 221. Francofurti 1546.
(k) Muſei Florent. tom. III. pag. 30.
(l) Tom. 1. Supplement. lib. 6. cap: 2. pag.220. tab. 80. num.2., & tab. 81. num. 1.
(m) Cap.1. pag. 375. edit. Lipſiæ 1696.
(n) Lib. 2. Eleg. 15. ℣.15.
(o) In Phędone pag. 684. t. 2. edit. anni 1592.
(p) Eclog. III. ℣. 49. pag. 562.
(q) Lib.1. Tuſculanar. quæſt. n.38.
(r) In Dialog. Veneris & Lunæ pag.66.
(s) Phænomen. pag.186.
(t) Satyr. X. ℣. 318.
(u) Lib. 2. Mytholog. cap.19. pag.701.
(x) Pauſanias lib. 5. cap.1. pag. 375.

pterea dextera manu tenet, ac prope eum canis eſt, quæ duo indicia ſunt, ac inſignia paſtoris [a]. Endymion autem propterea dormiens fingitur, ſi Apollodoro [b] fides, quod ſcilicet data ſibi a Jove quæcumque vellet deligendi poteſtate, immortalem ſibi & juventutem, & ſomni quietem concedi poſtulavit; quamvis alii [c] æternum dormientem faciant, quod a Jove in Cœlum aſſumptus, Junoni vim inferre voluerit. Luna ſui ipſius dum creſcit imaginem capite defert, qua ratione in pluribus etiam antiquis monumentis expreſſa videtur [d]. Duo denique inter dumeta viſuntur Amores, ambo ridenti vultu Lunam contuentes. Horum alter ſagittam manu tenet, nam ſagittæ arma ſunt Amoris [e]; alter vero digitum ori admovens, imperare videtur ſilentium; quia Lunæ curæ fuiſſe dicitur [f], ne ſui cum Endymione amores divulgarentur. Aratus [g], Plinius [h], aliique [i] totam hanc fabellam hiſtorice explicantes, iccirco Endymionem volunt dictum fuiſſe in monte æternum dormire, & a Luna amari, quia cum per diem dormiret, nocte Lunæ curſum, ac viciſſitudines obſervabat, atque omnium primus [k] id reliquis oſtendit. Sed, ut omittam id laudis alios [l] Mercurio tribuere, non video, quo pacto inter ſe cohæreant eodem in homine ſomnus arctior, & Lunaris curſus diligens obſervatio. Heraclitus ſic rem explicat in libro de Incredibilibus [m]: *Potuit vero eſſe Endymion Paſtor, ignarus mulierum, & rudis, quem cum mulier deperiiſſet, a neſcio quo interrogata, quæ illa eſſet, reſpondit, Luna.*



TA-

(a) Vide Begerum t.2. Theſaur. Brandenburgic. pag. 207.
(b) Lib. I. Biblioth. cap. 7. §. 5. pag. 26.
(c) Scholiaſt. Apollon. lib. 4. num. 7. pag. 221.
(d) Videatur Montfauconius Tom. 1. Supplem. p. 208. tab. 41. n. 2., & tab. 42. num. 2. 5. 7., & pag. 220. tab. 81. num. 1. & 2., Begerus t. 1. pag. 64., & t. 2. pag. 147., Cauſſæus pag. 20. tabul. 39.
(e) Propertius lib. 2. Eleg. 9. ℣. 9., Albricus de Deor. Imaginib. c. 5. pag. 904., Servius in I. Æneid. ℣. 667.
(f) Vide Catullum de Coma Berenices ℣. 5. pag. 587. t. 1. Corp. Veter. Poetar.
(g) Phœnom. pag. 186.
(h) Lib. 2. cap. 9. Hiſtor.
(i) Fulgentius lib. 2. cap. 19. p. 701. Anonymus de Incredibilib. c. 12. pag. 36. Allat. Excerpt. Vat.
(k) Lucianus in Aſtrolog. pag. 439. edit. Lugduni 1549.
(l) Tzetzes Chiliad. IV. 817.
(m) Cap. 38. pag. 24. Excerpt. Var. Græcor. Allat. Romæ 1647.



Ann. Caracci Inu. C. Cesius del. et Sculp. Rom. Lugd: Ian Westerh[illegible] [illegible]n Fecit

❀ V ❀

TABULA III.

MERCURIUS, ET PARIS.



Thetidem Nerei & Dorides filiam [a] perdite amabat Jupiter [b], qui a Proteo [c], ſeu, ut alii malunt, Prometheo [d], aut Themide [e] admonitus, ex Thetide naſciturum filium, qui patre fortior, ac præſtantior haberetur; veritus ne (quod ipſe in Saturno [f] Patre effecerat) regno ejicieretur, illam Peleo [g] nepoti ſuo, Eaci [h] filio conjugem dedit. Nuptiæ celebratæ perhibentur in Pelio [i] Theſſaliæ monte, quo Dii omnes [k] convenerant a Jove invitati, excluſa Eride, ſeu Diſcordia. Hanc illa injuriam ægre ferens, pomum aureum [l], per oſtium [m] inter convivas immiſit, cui hæc verba inſcripta erant [n]: *Pulchrior accipiat*, Quod pomum cum ſuſcepiſſet Mercurius [o], inſcriptionemque palam legiſſet; pleræque Deæ omnes illud ſibi deberi contendebant. Tum autem vehemens diſcordia, præſertim Junonem inter, Venerem, ac Minervam [p] orta eſt. Quod quidem diſſidium cum Jupiter componere vellet; Mercurio [q] præcepit, pomo ut accepto ad Alexandrum Paridem, [r] Priami regis Trojæ filium [ſ], in Monte Ida [t] commorantem ſe conferret, qui exortam controverſiam dijudicaret. Hæc autem Jovis oratio ad Mercurium a Luciano inducitur: [u] *Accepto Mercuri iſto pomo abi in Phrygiam ad Priami filium . . . . ipſique dicite Pari, jubet Jupiter, quandoquidem formoſus ipſe es, & ſapiens in rebus amatoriis, ſententia Deabus lata pronunciare, quæ illarum pulcherrima ſit: certaminis autem præmium victrix recipiat pomum*. Jam vero Caraccius noſter Mercurium per aëra volitantem exhibet, qui altera quidem manu pomum tenet, quem Paridi defert; altera vero tubam, famæ ſymbolum, qua ſubindicat, præclaram atque illuſtrem illius famam futuram, quæ a Paride pulcherrima judicaretur. Id enim Jovis erat mandatum, ſi Coluthо [x] Græco auctori fides. Mercurius capite Petaſum gerens, alatiſque pedibus

B depin-

(a) Homerus hymn. in Apollin. ℣. 319. p. 505. tom. 2., Euripides Iphigen. Aulid. ℣. 701., Heſiodus in Theogonia ℣. 241.

(b) Nonnus Dionyſiacor. xxxiii. ℣. 355. pag. 511., Libanius in Narrat. cap. 21. pag. 67. Excerpt. Allatii.

(c) Ovidius xi. Metamorphoſ. ℣. 220.

(d) Nonnus Dionyſiac. xxxiii. ℣. 357., Hyginus fab. 54. p. 118., & lib. 2. Aſtronomiæ cap. 15. pag. 456.

(e) Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. cap. xi. pag. 68.

(f) Virgilius Æneid. viii. 319.

(g) Dictys Cretenſis lib. 6. de Bello Trojano cap. 7. p. 237. edit. Annæ Daceriæ Amſtelod. 1702., Hyginus fab. 54. pag. 119., Catullus Carm. 63. ℣. 26.

(h) Pindarus Pyth. Ode III. ℣. 153., Hyginus fab. 54. pag. 119.

(i) Euripides Iphigen. Aulid. ℣. 1045.

(k) Cointus Derelict. lib. 3. ℣. 1000., Coluthus de Raptu Helenæ ℣. 20., Hyginus fab. 92. pag. 173.

(l) Coluthus ℣. 58., Servius in 1. Æneid. 31.

(m) Coluthus ℣. 58. pag. 683.

(n) Hyginus fab. 92. pag. 173., Libanius cap. 21. p. 68., Tzetzes Chiliad. V. 765.

(o) Lucianus in Dialog. Panopes & Galen pag. 84.

(p) Coluthus ℣. 62. & 135.

(q) Coluthus ℣. 67. pag. 684.

(r) Ovidius Epiſt. 16. ℣. 60. & ſequent., Dio Chryſoſtomus orat. 29. pag. 132.

(ſ) Lucianus Dialog. Deor. num. 20. pag. 252. tom. 1., Pauſanias lib. v. pag. 204., Libanius cap. 21. pag. 68.

(t) Ovidius Epiſtol. 16. ℣. 53., Hyginus fabul. 92. pag. 174.

(u) Dialog. Deor. n. xx. pag. 252. tom. 1.

(x) De Raptu Helenæ ℣. 73. pag. 684.

depingitur, quæ Mercurium pingendi ratio antiquiſſima; ut ex Oratio [a], Arnobio [b], Fulgentio [c] Albrico [d], atque monumentis illis apparet, quæ Montfauconius [e] collegit. Paris ſaxo inſidet ad umbram arboris, quod Caraccius ex Ovidio [f] accepiſſe videtur. Habitu præterea indutus eſt paſtorali, nam paſtorem fuiſſe Ovidius [g], & Lucianus [h] teſtantur; quamobrem, & baculum manu tenet, viſiturque prope eum canis, quæ duo inſignia paſtoris. In nonnullis vetuſtis monumentis, quæ a Begero [i], Sponio [k], Bellorio [l] & Gorio [m] edita ſunt, hæc ipſa fabella, etſi alia plane ab ea ratione, quam ſequutus eſt Caraccius, exhibetur. Banierus, quid fabella iſta indicare voluerint Veteres, explicat tomo III. Mythologiæ [n]; illum itaque conſulant harum rerum ſtudioſi.



TA.

(a) Faſtorum. v. 665.
(b) Lib. 6. pag. 197.
(c) Lib. I. Mythologic. cap. 19. pag. 648.
(d) Cap. 6. de Deor. Imaginib. pag. 906.
(e) Tom. I. Antiq. Expliq. tab. 68. 69. 71. 72. p. 128. 130. & tom. 1. Supplem. tab. 36. 37. 38. pag. 96. 98. 100.
(f) Vide Epiſt. 16. ỳ. 58.
(g) Epiſt. 5. ỳ. 10. & 79.
(h) Dialog. Deor. num. 20. pag. 252. tom. 1.
(i) Spicileg. Antiquitat. pag. 135.
(k) Diſſert. 17. Rei Antiquar. pag. 490. tom. 4. Supplem. Poleni.
(l) Pitture Antiche del Sepolcro de' Naſoni pag. 36. tavola 34.
(m) Tom. 2. Muſei Florentini tab. 24. pag. 57.
(n) Pag. 211. & 212.

Tab. IV.

Ann. Caracci Inu. C. Cesius del. et sculp. ... Arnold. Westerh. ... Cum Priuil. S. Pontifici

TABULA IV.

PAN, ET LUNA.



An, quem rusticæ vitæ præsidem [a], ac Deum putarunt Veteres, uti ab antiquis Pictoribus, atque Sculptoribus referebatur, ita a Caraccio depingitur elegantissime. Nam prisci illi artifices Pana, etsi humano ore ac figura, tamen cauda, auribus, cruribus, & pedibus Capræ similem exhibuerunt, Sic enim exprimitur in vetustis illis monumentis, quæ Sponius [b], Begerus [c], & Montfauconius [d] ediderunt; & sic etiam ab Homero [e], Herodoto [f], Luciano [g], atque aliis [h] descriptum intelligimus. Silius Italicus libro XIII. de Bello Punico [i], talem illius figuram facit.

„ Pendenti similis Pan, semper & uno
„ Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu.
„ Dextera lascivit cæsa Tegeatide capra,
„ Verbera læta movens per compita cauda,
„ Cingit acuta comas, & opaca tempora pinus,
„ Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte.
„ Stant aures, summoque cadit barba hispida mento,
„ Pastorale Deo baculum, pellisque sinistrum
„ Velat lata gratus, teneræ de corpore damæ.

At quod Pan vellera Lunæ offerat, quam rem tabella hæc exhibet, id propterea fecisse dicitur, quo illam sui amore irretiret; cujus quidem fabellæ meminit Virgilius Georgicorum III. [k], quo in loco ita canit:

„ Munere, sic niveo lanæ, si credere dignum est,
„ Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
„ In nemora alta vocans: nec tu aspernata vocantem.

Nam fallitur Servius [l], qui Virgilium fabulam immutasse dicit, ad Pana referens, quod de Endymione antiqui commenti fuerant Poëtæ. Id enim Virgilius a Nicandro auctore Græco, & plenissimo fabellarum accepit, ut Macrobius [m], & Phylargirius [n] testantur. Luna subridens Pana contuetur, quo sibi oblatum munus gratum acceptumque esse significat. Sinistra vero arcum tenet,

(a) Videantur Ovidius Fastor. 2. 271., Servius in Eclog. 2. 11., Isidorus lib.8. Originum cap.xi.
(b) Differt. 2. Rei Antiquar. pag.397. tom.4. Supplem. Poleni.
(c) Tom. I. Thesaur. Brandemburg. pag. 154., & tom. 2, pag. 449.
(d) Tom.I. Supplem. tab.64. pag. 164.
(e) Hymn. in Pana ℣.1. pag.557. tom.2. Oper.
(f) Lib. 2. Histor. pag.52. edit. Colon. 1562.
(g) In Dial. Pan & Mercurii pag. 76.
(h) Videantur lib.4. Antholog. cap.xi. Epigram.84. 86. 138. 120, pag.663. & 666., Heraclitus de Incredibilibus cap.25. p.16. Excerpt. Allatii, Albricus de Deorum Imaginibus cap. 9. p.914. Mythograph. Latin. Lugd. Batav. 1742.
(i) ℣. 326. pag. 230. tom.2. Corpor. Veter. Poëtar. Aurel. Allobrog. 1611.
(k) ℣. 391.
(l) In III. Georgic. ℣. 391. pag.245.
(m) Lib. 5. Saturnal. cap. 22. pag. 457.
(n) In III. Georg. Virgil. ℣. 292. pag.245.

tenet, qui antiquitus [a] quoque illi addebatur. Pan altera manu baculum incurvum complectitur, quod & ex antiquis monumentis facile intelligitur [b], propter annum nimirum, si Servio [c] fides, qui in se ipse revolvitur; nam Pan, ut ille subdit, universæ naturæ est Deus. Pone illum Pinus depicta est, quæ arbor, teste Propertio [d] ei sacra erat. Pendet ex arbore fistula, cujus ille inventor [e] habetur. Nam ut ait Virgilius [f]

„ Pan primus calamos cera conjungere plures
„ Instituit.

Nemesianus Ecloga III. [g], Pana inducit sub ulmo recubantem

„ Quem super ex tereti pendebat fistula ramo.

Novem illa calamos exhibet; etsi quæ fistulæ in antiquis monumentis occurrunt, aliquando sex [h], sæpius septem [i], nonnumquam octo [k] vel decem [l] calamis compactæ sint. Sed quid Capra illa, quæ prope Pana visitur? Hanc illi iccirco junxit Caraccius, quia Pan curator Caprarum ab antiquis habebatur. Profecto eo nomine illum designat Orpheus [m]. Virgilio [n] *Ovium custos*; Ovidio [o] *Deus Pecoris* dicitur: Horatio [p] demum;

„ Deus cui pecus & nigri
„ Colles Arcadiæ placent.



TA-

(a) Vide Pausaniam lib. 7. cap. 25. p. 584., & cap. 26. pag. 593., lib. x. cap. 37. p. 892., Ovidium Heroid. Epist. 4. ℣. 39., & lib. 1. Amor. Eleg. 1. ℣. 10., Albricum de Deorum Imaginibus cap. 7. p. 910., Montfauconium tom. 1. Antiq. Expliq. part. 1. tab. 87. 88. pag. 148., Begerum tom. 2. Thesaur. Brandemburg. p. 230. 231.
(b) Vide Begerum tom. III. Thesaur. Brandemburg. p. 249. 448.
(c) In Eclog. 2. ℣. 31. pag. 17.
(d) Lib. 1. Eleg. 18. ℣. 10.
(e) Hyginus fab. 274. pag. 389.
(f) Eclog. 2. ℣. 32.
(g) ℣. 5. pag. 510. tom. 2. Corpor. Vet. Poëtar.
(h) Vide Begerum tom. 2. Thesaur. Brandemburg. pag. 449.
(i) Montfaucon. tom. 1. Supplem. pag. 164.
(k) Montf. l. c.
(l) Montfaucon. l. c.
(m) Hymn. in Pana ℣. 5. p. 504. tom. 1. Corp. Veter. Poët. Græcor.
(n) Georgic. 1. 17., & Eclog. 2. 33.
(o) Fastor. 2. 271.
(p) Lib. 4. Ode 12. ℣. 11.




Tab.V.
C.Cesius
del. et sculp.

TABULA V.

HERCULES, ET OMPHALE, SEU JOLE.



Erculem,

„ Quem non mille feræ, quem non Stheneleïus hoſtis,
„ Non potuit Juno vincere; vicit Amor [a].

Nam Omphales Lydorum Reginæ, ſeu, ut alii [b] volunt, Joles, Eurythi Oëchaliæ regis filiæ, amore captus, uſque adeo inſaniit, ut clava, qua numquam non inſtructus erat, in colum commutata, & ſagittis in fuſum verſis; calathum etiam inter Jonicas puellas [c] tenuiſſe dicatur; quum interim Omphales clava, & Leonis Nemæi pelle induta incederet. Fabulam commemorant Diodorus [d], Lucianus [e], Seneca [f], atque Ovidius, qui Heroidum Epiſtolarum IX. [g] ita canit:

„ Vidit in Herculeo ſuſpenſa monilia collo
„ Illo, cui cœlum ſarcina parva fuit.
„ Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
„ Et ſolidis gemmas apposuiſſe toris

„ . . . .

„ Auſus es hirſutos mitra redimire capillos:
„ Aptior Herculeæ populus alba comæ.
„ Nec te Mæonia, laſcivæ more puellæ,
„ Incingi zona dedecuiſſe putas.

„ . . . .

„ Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
„ Æquaque formoſæ penſa rependis heræ.

„ . . . .

„ Se quoque Nympha tuis ornavit Iärdanis armis,
„ Et tulit e capto nota tropæa viro.

„ . . . .

„ Pro pudor! hirſuti coſtas exuta leonis
„ Aſpera texerunt vellera molle latus.

„ . . . .

„ Fœmina tela tulit Lernæis atra venenis,
„ Ferre gravem lana vix ſatis apta colum:

„ In-

(a) Ovidius Heroid. Epiſt. 9. ℣. 25.
(b) Sophocles in Trachin. ℣. 355., Apollodorus lib. 2. cap. 6. §. 1. pag. 123., Diodorus lib. IV. Biblioth. num. 38. pag. 283., Plutarchus in Parall. tom. 2. pag. 308., Ovidius Metamorph. 9. 140., Epiſt. 9. 6. & 133., lib. 3. de Arte Amandi ℣. 156.
(c) Ovidius Heroid. Epiſt. 9. ℣. 73.
(d) Lib. 4. Bibl. num. 31. pag. 276.
(e) Dialog. Jovis, & Æſculapii pag. 65.
(f) In Hippolyt. ℣. 317.
(g) ℣. 57. pag. 118.

„ Inſtruxitque manum clava domitrice ferarum;
„ Vidit & in ſpeculo conjugis arma ſui.

Eadem habet Faſtorum II. [a], quo in loco ita loquitur.

„ Dumque parant epulas potandaque vina miniſtri;
„ Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis.
„ Dat tenues tunicas Gætulo murice tinctas:
„ Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.
„ Ventre minor zona eſt: tunicarum vincla relaxat,
„ Ut poſſit vaſtas exſeruiſſe manus.
„ Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
„ Stringebant magnos vincula parva pedes:
„ Ipſa capit clavamque gravem, ſpoliumque leonis,
„ Conditaque in pharetra tela minora ſua.

Hæc ſpectans Caraccius Herculem quidem pinxit aurea indutum veſte, qui cymbalum, quod manu tenet, pulſandi artificium ab Omphale videtur addiſcere; Omphalem vero, ſeu Jolem [b] Leonis Nemeæi pelle indutam, ac clavam dextra tenentem, quæ duo Herculis inſignia [c]; nam clavam in Nemæa ſilva ſibi Herculem comparaſſe ſcribit Apollodorus [d]; pellem vero Leonis tum primum induit, quum Leonem Nemæum [e] occidit. Nec novum Omphalem, ſeu Jolem ſic exhiberi, cum apud Montfauconium [f] monumenta quædam habeantur, in quibus idipſum occurrit. Pone Omphalem viſitur Amor, qui Herculem intuens ſubridet, quem quidem ſubridentem antea Taſſus carminibus ſuis [g] depinxerat.



TA-

(a) ℣. 317. pag. 90.
(b) Malvaſia Felſina Pittrice parte 3. pag. 439., Baglioni Vite de Pittori pag. 107.
(c) Vide Sophocl. in Trachin. ℣. 518. p. 139., Apollonium Rhodium Argonaut. 1. ℣. 1104., Pauſaniam lib. 3. cap. 15. pag. 244., Albricum de Deor, Imaginib. cap. 22. pag. 931. & 932., Diodorum lib. 1. pag. 14., Ovidium I. Faſtor. 575. & Epiſt. 9. ℣. 62., Cuperum in Harpocrat. pag. 56., Montfauconium tom. 1. part. 2. Antiq. Expliq. tab. 125. 126. 128. 134. p. 200. 204. 212. & 222.
(d) Lib. 2. Bibl. cap. 4. §. x1. pag. 98.
(e) Albricus de Deor. Imaginibus cap. 22. pag. 932., Hyginus fab. 30. pag. 82., Servius Æneid. 8. 295. pag. 896., Euripides Hercul. Furen. ℣. 362. pag. 557. tom. 1. Corp. Vet. Poët. Græc. Lyric.
(f) Tom. 1. part. 2. Antiq. Expliq. pag. 225. tab. 139. & tom. 1. Supplem. pag. 141.
(g) Geruſal. Liber. Cant. 6. ott. 92. & Cant. 16. ott. 3.


Tab. VI.
Ann Carac Inu
C Cesius fecit
Arnoldo Van Westerhout formis

TABULA VI.

JUPITER, ET JUNO.



On ſemel in gratiam rediit cum Junone Jupiter, propterea quod ſuis adulteriis permultas conjugi cauſſas dedit offenſionum, atque inimicitiarum. Id paſſim apud Poëtas [(a)] fere omnes legitur, qui quo ſuis libidinibus facilius, & impunius indulgerent, eas ſuos in Deos libenter conferebant. Junonem igitur Jovi reconciliatam, atque in illius amplexus euntem exhibet Caraccius, ut ſolet, elegantiſſime. Nam Jovem ſeminudum, lecto jacentem, quique uxorem cupide amplectitur videndum præbet; Junonem vero & ipſam ſeminudam, lectumque Jovis conſcendentem, ita tamen, ut gravitatem illam ſuam [(b)], ac ſuperbiam minime obliviſcatur. Sua cuique adeſt ales, Jovi Aquila, Junoni Pavo. Nam Aquilam Jovi conſecrarunt Veteres [(c)], quod & in ejus olim conſediſſet capite quaſi portendens regnum [(d)], & dimicanti contra Gigantes fulmina miniſtraſſet [(e)]; quamobrem etiam Aquila a Virgilio [(f)] *Jovis armiger* dicitur. Pavo quoque Junoni ab Antiquis [(g)] ſacer habitus eſt, quod Argus, qui [(h)]

„ Centum fronte oculos, centum cervice gerebat,

propter illam a Mercurio interemptus, in Pavonem [(i)] commutatus fuiſſet, oculis in caudam conjectis, ut canit Ovidius [(k)]; qui cum Argum a Mercurio interemptum retuliſſet, tum ita proſequitur:

„ Arge, jaces: quodque in tot lumina lumen habebas
„ Extinctum eſt: centumque oculos nox occupat una.
„ Excipit hos, volucriſque ſuæ Saturnia pennis
„ Collocat, & gemmis caudam ſtellantibus implet.

Tradit idipſum Lactantius Placidus fab. XII. lib.I. Metamorphoſeon Ovidii [(l)].

At

(a) Homerus Iliad. XIV. 317., Apollonius IV. Argonaut. 793., Ovidius Metamorph. I. 661., II. 477. 519., IV. 426. 447. 610., VI. 24, 112. 208., Seneca Herc. Furent. I. 27., atque alii apud Natalem Comitem lib.2. Mythol. cap. 1. pag.30. & ſequent.

(b) Videatur Apulejus X. Metamorph. pag. 253.

(c) Plutarch. de Iſide & Oſirid. pag. 381. tom. 2., Hyginus lib. 2. Aſtronom. cap. 16. pag. 458., Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. cap. XI. pag. 73., Fulgentius lib. 1. Mythol. cap. 25. pag. 654., Albricus de Deorum Imaginibus cap. 2. pag. 898., Begerus tom. 1. Theſaur. Brandemburg. pag. 80., Montfauconius tom. 1. Antiq. Expliq. part. 1. pag.36. tab. 10., pag. 48. tab. 16., & tom. 1. Supplem. pag. 52. tab. 18.

(d) Fulgent. lib. 1. Mythol. cap. 25. pag. 654., Scholiaſtes Horatii lib. 4. Ode IV.

(e) Servius in I. Æneid. 398. & IX. 564.

(f) Æneid. I. 398. & IX. 564.

(g) Pauſanias lib. 2. cap. 17. pag. 148., Fulgentius lib. 2. Mythol. cap. 3. pag. 668., Albricus cap. XI. pag. 918., Montfaucon. tom.1. Antiq. Expliq. pag. 46. tab. 15., & pag. 56, tab. 21.

(h) Ovidius Amor. III. Eleg. IV. ℣. 19.

(i) Videatur Natalis Comes lib. 2. Mythol. cap. 4. pag. 43.

(k) Metamorph. I. 720. pag. 56.

(l) Pag. 793.

At Fulgentius [a] aliam hujuſce rei cauſam repetit a ſuperbia divitiarum, quam Pavo oſtentare videtur, quæque Junonis propria exiſtimatur; en illius verba: Hujus *quoque in tutelam pavum ponunt, quod omnis vita potentiæ petax in adſpectum ſui ſemper quærat ornatus. Sicut enim pavus ſtellatum caudæ curvamen concavans, anterius faciem ornat, poſterioraque turpiter nudat: ita divitiarum gloriæque appetitus momentaliter ornat, poſtremo tamen nudat.*



TA-

(a) Lib. 2. Mythol. cap. 3. pag. 668.

Tab.VII.


Ann. Caracci Inu.
Arnoldo Van Westerhout formis Romæ cum Priuil. S. Pontificis.
C. Cosius del et Sculp.

TABULA VII.

POLYPHEMUS, ET GALATEA.



Olyphemum Neptuni filium [(a)], Cyclopum omnium teterrimum [(b)], quem Virgilius [(c)] *monſtrum horrendum, informe, ingens* appellat, graphice depictum exhibet hæc tabula. Unicum habet oculum, & unicum ſupercilium. Latiſſime prominet naſus immani labro impoſitus. Totius denique corporis forma, ſtatura Giganti ſimilis, atque appoſita ad feritatem. Permagno utitur baculo, quem arboris quaſi truncum exiſtimes. Licet autem agreſtem quaſi belluæ immanitatem præſeferat; tamen vim amoris diſſimulare non poteſt. Nam Galateam amaſſe [(d)] dicitur uſque ad inſaniam. Quare ſcopulo innixus fiſtula canit, quo illam trahat in amorem ſui. Hæc omnia ex Homero [(e)], Virgilio [(f)], hauſiſſe dicas Caraccium; præſertim vero ex Ovidio [(g)], qui Polyphemum in ſcopulo inſidentem ita deſcribit, ut quaſi ipſe ante depinxiſſe videatur:

„ [(h)]. . . . . . Nempe ille immitis & ipſis
„ Horrendus ſilvis, & viſus ab hoſpite nullo
„ Impune, & magni cum Dîs contemtor Olympi;
„ Quid ſit amor ſentit: noſtrique cupidine captus
„ Uritur; oblitus pecorum antrorumque ſuorum.
„ . . . . . .
„ . . . . . .
„ [(i)] Prominet in pontum cuneatus acumine longo
„ Collis: utrumque latus circumfluit æquoris unda.
„ Huc ferus aſcendit Cyclops; mediuſque reſedit.
„ Cui poſtquam pinus, baculi quæ prebuit uſum,
„ Ante pedes poſita eſt, antennis apta ferendis;
„ Sumtaque arundinibus compacta eſt fiſtula centum;
„ Senſerunt toti paſtoria ſibila montes:
„ Senſerunt undæ latitans ego. . . . . .
„ . . . . procul auribus hauſi
„ Talia dicta meis, auditaque mente notavi.
„ Candidior nivei folio, Galatea, liguſtri;

 „ Flo-

(a) Homerus Odyſſ. I. 73., Ovidius Metamorph. XIII. 854., Hyginus fab. 125. pag. 219.
(b) Homerus Odyſſ. I. 70.
(c) III. Æneid. 658.
(d) Theocritus Idyll. 6. 7. pag. 567., Ovidius Metamorph. XIII. 775., Athenæus Deipnoſophiſt. lib. 13, pag. 564., Lucianus Dialog. Doridis & Galateæ pag. 81.
(e) Odyſſ. IX. 189. 383.
(f) Æneid. III. 636.
(g) Metamorph. XIII. 755.
(h) ℣. 759. pag. 675.
(i) ℣. 778. pag. 676.

„ Floridior pratis; longa procerior alno;
„ Splendidior vitro; tenero lascivior hædo;
„ . . . . . . ,
„ (a) Jam Galatea veni: nec munera despice nostra.
„ Certe ego me novi, liquidæque in imagine vidi
„ Nuper Aquæ: placuitque mihi mea forma videnti.

Galatea etiam pulcherrime depingitur vecta curru a Delphino super æquora, quæ canentem fistula Polyphemum, & fortasse non invita, audit, si Propertio (b) fides adhibenda est:

„ Quin etiam Polypheme, fera, Galatea, sub Ætna
„ Ad tua rorantes carmina flexit equos.

Vestis ad ludibrium zephyri explicata, & ornat currum, & Galateam protegit. Illam Tritoniæ Virgines comitantur duæ, quarum altera Delphinum freno regit, altera Polyphemi cantum excipit, sed quasi abscondite. Tabulam huic persimilem describit Philostratus lib. II. Iconum cap. XVIII. (c), eaque Neapoli in Callistrati domo visebatur.



TA-

(a) ỳ. 839. pag. 678.
(b) Lib. 3. Elegiar. ỳ. 45. pag. 873. tom. 1. Corpor. Veter. Poëtar.
(c) Pag. 840. Philostrat. Oper. edit. Lipsiæ 1709.

Tab. VIII.



Ann. Caraci Inu. — *Anoldo Van Westerhout form. Romæ Cum Privil.* — *C. Cesius del. et sculp.*

TABULA VIII.

POLYPHEMUS, ET ACIS.



EN iterum Polyphemum, jam non placidum, atque amoris lenitatem præferentem, sed furore atque invidia inflammatum, qui saxo ingenti imminèt ad perniciem rivalis. Hic erat Acis Fauni, & Symæthidis Nymphæ filius [a], quem Juvenem, forma & morum suavitate, Cyclopi Galatea præferendum, ac vere amandum existimarat. Sed hunc amorem, cum nemo se bene norit, interpretabatur Cyclops tanquam injuriam suam. Quare cum forte Galateam leniter in gremio Acidis [b] residentem deprehendisset, eas edidit ruinas, quas nobis mirandum in modum ob oculos ponit artifex egregius. Videmus Acidem, videmus Galateam plenissimos trepidationis & fugæ, cupere aliquâ evolare si possint. Hanc fabulam & Lactantius [c], & Servius [d] referunt, & Ovidius, quem nemini dubium potest esse, quin sæpe multumque legerit Caraccius noster. Carmina Ovidii hæc afferenda existimavimus ex libro XIII. Metamorphoseon [e].

„ Cum ferus ignaros, nec quicquam tale timentes
„ Me videt atque Acin: videoque, exclamat; & ista
„ Ultima sit, faciam, veneri concordia vestræ.
„ Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
„ Debuit, illa fuit: clamore perhorruit Ætne.
„ Ast ego vicino pavefacta sub æquore mergor.
„ Terga fugæ dederat conversa Symæthius heros:
„ Et, fer opem, Galatea, precor, mihi: ferte parentes;
„ Dixerat: & vestris periturum admittite regnis.
„ Insequitur Cyclops: partemque e monte revulsam
„ Mittit; & extremus quamvis pervenit ad illum
„ Angulus e saxo, totum tamen obruit Acin.
„ At nos, quod fieri solum per fata licebat,
„ Fecimus; ut vires adsumeret Acis avitas:
„ Puniceus de mole cruor manabat: & intra
„ Temporis exiguum rubor evanescere cœpit.
„ Fitque color primo turbati fluminis imbre;
„ Purgaturque mora. Tum moles jacta dehiscit:

Vi-

(a) Ovidius Metamorph. XIII. 750., Lactantius fab. 8. lib. 13. pag. 876.
(b) Ovidius Metamorph. XIII. 787.
(c) Fab. 8. lib. 13. pag. 876.
(d) In Eclog. IX. Virgilii ỷ. 39. pag. 90.
(e) ỷ. 873. pag. 680.

„ Vivaque per rimas, proceraque ſurgit arundo:
„ Oſque cavum ſaxi ſonat exſultantibus undis:
„ Miraque res: ſubito media tenus exſtitit alvo
„ Incinctus Juvenis flexis nova cornua cannis.
„ Qui, niſi quod major, quod toto cærulus ore eſt,
„ Acis erat: ſed ſic quoque erat tamen Acis in amnem (a)
Verſus: & antiquum tenuerunt flumina nomen.

Quin nec Lactantii Placidi verba reticenda putavimus; *Acis*, ſic ille, *Fauni & Symæthidis Nymphæ filius Galateam Nerei & Doridis filiam cum diligeret, nec minus ipſe ab ea peteretur; Cyclops quod copia ejuſdem Nereidis nulla fieret, quia feritas ejus ei inviſa eſſet, incenſus furore, ſpelunca relicta, palam proſiluit, vagatuſque per ſylvas conſpexit Galateam gremio Acidis reſidentem, avulſumque ſcopulum Ætnæ in eos ejecit; cujus vi exterrita Galatea, ſubjecto mari merſa eſt. Acis autem, qui effugere impetum ejus non potuit, obrutus ſaxo eſt.*



TA-

(a) Vide Euſtath. in Dionyſ. pag. 124.


Ann. Carac. Inu. et Pinxit.
Arnoldo V W


Tab·IX·
hout formis Romæ Cum Priuil. S. Pontificis.
C. Cesius del. et sculp.

TABULA IX.

VENUS A TRITONE PER ÆQUORA VECTA



Enerem hac in tabula qui videt, is ſimul recordatur & vetera monumenta, quæ a Cauſſeo [a], Begero [b], & Montfauconio [c] edita ſunt; & Scriptores antiquos, Nonnum [d] præſertim, Lucianum [e], atque Apulejum [f], unde hanc Veneris depingendi formam, rationemque hauſit Caraccius. Hunc enim Veneri quaſi currum a Poëtis datum legimus. Quare Claudianus [g] Venerem inducit Cupidinibus mandantem, uti Tritonem vocent, aurigam ſimul & currum, quo per altum deferatur:

„ Heus, quis erit, pueri, vitreas qui lapſus in undas
„ Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
„ Deferar?

Quorſum autem currus Veneri æquoreus? Certe & quod mari nata [h] dicitur; hinc Ovidius [i]

„ Mater Amoris
„ Nuda Cytheriacis edita fertur aquis:

& quod Maris imperium obtinet; hinc Muſæus [k]

„ Imperat hæc undis, noſtriſque doloribus ima.

Venus Tritoni inſidens reclinato corpore viſitur, elatiſque manibus. Quis enim Venerem inaniter, effuſeque [l] geſtientem non vidit? Nam nuda depingitur, propterea quod procacis libidinis [m] Dea eſt. Aliæ autem hujuſmodi nuditatis cauſſæ, quas affert Lactantius [n], eæ ingenioſæ magis, quam veræ videri poſſunt. Triton, cui Venus inſidet, ſuperiore corporis parte ſpeciem barbati hominis præfert; inferiore in piſcem deſinit; ita enim a Virgilio [o], Pauſania [p], atque aliis [q] Tritones deſcriptos novimus. Quo

E intel-

(a) Muſeum Roman. ſect. 1. tab. 43. pag. 28.
(b) Tom. 1. Theſaur. Brandemburg. pag. 197.
(c) Tom. I. part. 1. Antiquit. Expliq. pag. 72. tab. 34., & p. 164. tab. 99. 100., & 101.
(d) Dionyſiacor. I. ℣. 58. pag. 308.
(e) In Dialog. Zephyri & Noti pag. 92. edit. Lugduni 1549.
(f) Lib. 4. Metamorphoſ. pag. 80.
(g) De Nuptiis Honorii & Mariæ ℣. 128. p. 595. tom. 2. Corp. Vet. Poetar.
(h) Vide Heſiodum in Theogon. ℣. 197., Athenæum lib. 7. cap. 7. pag. 282., Philoſtratum lib. 2. Iconum cap. 1. pag. 811., Scholiaſtem Apollonii Rhodii III. 50., & Servium in II, Georgic. ℣. 406.
(i) Heroid. Epiſt. VII. ℣. 59.
(k) De Herone & Leandro ℣. 250. pag. 702.
(l) Vide Homerum hymn. in Venerem. ℣. 65. Euripidem in Troadib. ℣. 989., Heſiodum in Theogonia ℣. 205., Phurnutum de Natura Deorum cap. 24. pag. 197. Opuſcul. Mytholog. Amſtelodami 1688.
(m) Martialis lib. 1. Epigramm. 103., Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. cap. 17. pag. 110., Servius Æneid. I. 724., Gyraldus Syntagm. 13. pag. 531.
(n) Lib. 2. Mytholog. cap. 4. pag. 670.
(o) Æneid. x. 211.
(p) Lib. 9. pag. 359.
(q) Videantur Phurnutus de Natur. Deorum cap. 22. pag. 195., Tzetzes ad Lycophron. ℣. 892., Scholiaſtes Apollonii Rhodii Argonaut. IV. 1613. 1619., & Marmora Taurinenſia p. 157.

intelligimus lapſum eſſe turpiter Bellorium[a], qui Tritonem pro Cymothoë habuit; cum Cymothoëm Nympham maris fuiſſe Homerus[b], Heſiodus[c], & Claudianus[d] plane teſtentur. Tritonem, quo vehitur Venus, Triton alius præcedit buccina canens: Tritones buccina canentes paſſim apud Poëtas[e] legimus, & Ovidius Metamorphoſeon I.[f] ſic de Tritone canit:

„ Cava buccina ſumitur illi
„ Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo:
„ Buccina, quæ medio concepit ut aëra ponto,
„ Littora voce replet ſub utroque jacentia Phœbo.

Veneri ſuas addidit comites[g] atque ſatellites Caraccius, Gratias ſcilicet tres, ſine quibus Venerem ipſam, quaſi ſine condimentis cibum, plane inſuavem, atque inſulſam dicas[h]. Explicatis ſolutiſque veſtibus, atque omnis venuſtatis plenæ Delphinis inſident, qui Veneri ſacri ab Antiquis[i] habebantur. Res aſpectu pulcra eſt illa Amorum familia, quæ Venerem comitatur. Alii enim cum Delphinis feſtive ludunt: alii aures obturant clangentis tubæ ſtrepitu perterritas: alii per aëra volitantes faces deferunt; quod ex antiquis monumentis[k] homo, ſiquis alius, antiquitatis ſtudioſus Caraccius accepit. Quid quod Amorem unum cæteris proterviorem depinxit, & ſagittam adverſus Matrem conjicientem? quod profecto minime novum, atque apud Poëtas[l] uſitatum.



TA-

(a) Spoſizione delle Favole della Galleria Farneſe pag. 439. Felſina Pittrice del Malvaſia.
(b) Iliad. XVIII. 41.
(c) In Theogon. ỷ. 245. pag. 468.
(d) De Nupt. Honor. & Mariæ ỷ. 138. 143. & 166. pag. 595.
(e) Virgilius Æneid. X. 209., Lucanus Pharſal. IX. 348.
(f) ỷ. 335, pag. 32.
(g) Horatius lib. 1. Ode 30. ỷ. 5., Lactantius lib. 2. Mythol. cap. 4. 19. 670., Albricus de Deor. Imaginibus cap. 5. p. 904.
(h) Vide Theocritum Idyll. XVI. in Gratias ỷ. 108. pag. 582.
(i) Gellius lib. 7. Noctium Atticarum cap. 8. pag. 219., Begerus tom. 1. Theſaur. Brandemb. pag. 178.
(k) Vide Claudianum de Nupt. Honor. & Mariæ ỷ. 153., Begerum tom. 2. Theſaur. pag. 201., Montfauconium tom. 1. Antiq. Expliq. pag. 192. tab. 121., & tom. 1. Supplem. p. 480. tab. 112. & 114., Muſeum Odeſchalchum tom. 2. pag. 13. tab. 8.
(l) Vide Moſchum Idyll. 1. ỷ. 21. pag. 605.; Lucianum quoque Dialog. Veneris & Lunæ pag. 63.


Annibale Caracci in.


Tab. X.
AWesterhout formis Cum Priuil. S. Pontificis.

TABULA X.

AURORA, ET CEPHALUS.



Ephalum Deionis [a] filium, quod pulcherrima forma [b] esset, quodam libidinis æstu inflammata, rapuit Hyperionis [c] ac Thiæ filia Aurora. Sed rapuit solum; nunquam enim, singulari ac vix credibili exemplo, adducere potuit, sibi ut obsequeretur, ac quam uxori dederat, violaret fidem. Fabellam narrant Apollodorus [d], Antoninus, Liberalis [e], Pausanias [f] Athenæus [g], Hyginus [h], atque Ovidius cum pluribus in locis [i], tum maxime Metamorphoseon VII. [k], quo in loco sic Cephalum ipsum canentem inducit:

„ Alter agebatur post pacta jugalia mensis,
„ Cum me cornigeris tendentem retia cervis,
„ Vertice de summo semper florentis Hymetti
„ Lutea mane videt, pulsis Aurora tenebris:
„ Invitumque rapit. Liceat mihi vera referre
„ Pace Deæ, quod sit roseo spectabilis ore,
„ Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
„ Nectareis quod alatur aquis; ego Procrin amabam:
„ Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
„ Sacra tori, coitusque novos, thalamosque recentes,
„ Primaque deserti referebam fœdera lecti.
„ Mota Dea est: &, siste, tuas, ingrate, querelas;
„ Procrin habe, dixit. Quod si mea provida mens est;
„ Non habuisse voles; meque illi irata remisit.

Hanc ipsam fabellam hac in tabula scite imitatur Caraccius; hinc enim Auroram, quæ Cephalum suo in curru collocat, arcteque complectitur; illinc autem Cephalum procaces Auroræ amplexus mira animi constantia refugientem videmus. Aurora rosis coronata depingitur, quod rosea esse a Poetis [l] dicatur; Quamobrem & Cupido, quasi Deæ ut assentetur, per aëra volitans rosas defert in fiscina. Auroræ currum equi trahunt duo, quod & in

(a) Apollodorus lib. 3. Biblioth. cap. 14. §. 1. pag. 229., Antoninus Liberalis Metamorphoseon cap. 41. pag. 477., Hyginus fab. 189. pag. 312.
(b) Antonius Liberalis l. c. Hyginus fab. 270. pag. 375.
(c) Hesiodus in Theogon. ỷ. 372. pag. 470., Apollodorus lib. 2. cap. 2. §. 2.
(d) Lib. 3. Biblioth. cap. 13. §. 3. pag. 223.
(e) Metamorphoseon cap. 41. pag. 477. Histor. Poetic. Scriptor. Græc. Paris. 1675.
(f) Lib. 1. cap. 37. pag. 91.
(g) Deipnosophistar. lib. 13. pag. 566.
(h) Fab. 189. pag. 312., fab. 241. pag. 350., & fab. 279. p. 375.
(i) Heroid. Epist. IV. ỷ. 93., & Epist. XV. ỷ. 86., lib. 1. Amor. Eleg. XIII. ỷ. 33.
(k) ỷ. 700. pag. 370.
(l) Homerus Odiss. V. ỷ. 121. pag. 95., Ovidius lib. 3. de Arte Amandi ỷ. 84.

in Antiquis [a] monumentis videmus, & paſſim apud Poetas [b] legimus. Senex, qui ſomno oppreſſus obdormiſcit, Tithonus eſt Laomedontis [c] filius, & Auroræ maritus [d]. Hic autem mariti ſomnus, dici non poteſt, quot & quam præclaras occaſiones Auroræ [e] dedit, aliiſque puellis, quæ ſomniculoſos viros habent, explendi libidinem ſuam. Eam ob rem Poetis [f] Aurora, cum e lectulo ſurgit, Tithonum obdormientem linquere dicitur. Dignus maxime, qui audiatur Virgilius [g] eſt:

„ Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
„ Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Canem, qui dominum ſuum contuetur, addit Caraccius, quo ſignificaret Cephalum, & venandi [h] ſtudio deditum fuiſſe, & tum ab Aurora raptum, cum Cervos inſequeretur [i]. Plura de hoc Cephali cane, qui Lælapes dicebatur, habent Apollodorus [k], Hyginus [l], & Tzetzes [m]; quæ omnia huc afferre minime opportunum exiſtimavimus.



TA-

(a) Vide Montfauconium tom. 1. Antiquit. Expliq. part. 1. p.94. tabula 45.
(b) Theocritus in Hyla ℣. 11. pag. 576., Virgilius Æneid. VI. ℣. 535.
(c) Diodorus lib. IV. Biblioth. pag. 276. edit. Hanoviæ 1604., Hyginus fab. 270. pag. 375., Tzetzes in Lycophron, pag.6.
(d) Homerus hymn. in Venerem ℣. 219. & ſequent. pag. 545. tom.2., Heſiodus in Theogon. ℣.984. p.478., Hyginus fab.270. pag. 375.
(e) Vide Homerum Odyſſ. v. 121., Heſiodum in Theogon. ℣.378. pag.470., Athenæum lib.13. p.566., & Natalem Comitem lib. 6. Mytholog. cap. 2. pag. 169.
(f) Homerus hymn. in Vener. ℣. 231. & ſequent., Lycophron. in Caſſandra ℣. 18. p. 142. tom. 2. Corp. Vet. Poet. Lyricor.
(g) Æneid. IV. 585.
(h) Hyginus fab. 189. pag. 312.
(i) Ovidius Metamorph. VII. ℣.701.
(k) Lib. 3. Biblioth. cap. 14. §. 1. pag. 230.
(l) Fabula 189. pag. 313.
(m) Chiliad.1. ℣.555. p.283. tom.2. Corp. Vet. Poet. Græcor.




Tab. XI.
Ann. Carac. Inv.
C.Cesius del et sculp.

TABULA XI.

ANDROMEDA, ET PERSEUS.



ÆC Tabula Andromedam & Perſeum referens, inter pulcherrimas a Caraccio depictas adnumerari videtur poſſe. Nihil enim elegantius, nihil aſpectu jucundius excogitari poteſt, quam hinc puella eximia pulchritudine ad præſentem paſtum teterrimæ belluæ deſtinata, jam nuda, ac revinctis brachiis ingenti ſcopulo alligata, quæ media inter ſpem metumque verſari videtur, & de Perſei quidem virtute non omnino deſperat, ſed ſimul immanes monſtri hiatus pertimeſcit: illinc autem Perſeus magno animo, & erecto, ſublatus in aera, dimicans cum bellua, cui ad extremam perniciem fatale [a] objicit Meduſæ caput. Suum quoque locum apte aſſignavit Caraccius Cepheo Æthiopiæ [b] Regi, & Caſſiopæ Andromedæ parentibus [c], qui dolore ac lacrymis confecti, una cum aliis prælium illud atrox, magna cum expectatione contuentur. Ita enim illos antea carminibus ſuis Ovidius [d], & Manilius [e] deſcripſerant, quos egregie Caraccius imitatus videtur. Et Ovidii quidem carmina hæc ſunt:

„ Genitor lugubris, & amens
„ Mater adeſt; ambo miſeri, ſed juſtius illa.
„ Nec ſecum auxilium, ſed dignos tempore fletus,
„ Plangoremque ferunt.

Cæterum de Andromeda ſic accepimus: eam quidem catenis [f] revinctam immani Belluæ [g] iccirco expoſitam fuiſſe, quod ipſius mater formam ſuam [h], & filiæ [i] inſolenter ita ac glorioſe extulerat, ut vel Nereidibus anteferendam diceret. De Perſeo vero fama [k] eſt, cum a bello contra Gorgonas [l] feliciter geſto rediiſſet, appulſum ad Æthiopiæ [m] littus, vidiſſe puellam, ejuſque ſortem commiſeratum, necnon tantæ pulchritudinis amore captum, dimicaſſe cum bellua, ac victoriam, victoriæque præmium ampliſſimum, puellam tuliſſe. Audiatur Manilius, qui ſic rem totam narrat Aſtronomicon V. [n]:

„ Andromedæ ſidus ſequitur, quæ Piſcibus ortis
„ Bix ſex in partes Cœlo venit aurea dextro.
„ Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum
„ Prodidit . . . cum . . . .

(a) Videantur Nonnus Dionyſiacor. XLVII. ℣. 592. pag. 608., Apollodorus lib. 2. Biblioth. cap. 4. n. 2. pag. 85., Ovidius Metamorph. IV. 780., & Dio Chryſoſtomus orat. 66. pag. 302.
(b) Apollodorus lib. 2. Bibl. cap. 4. §. 3. pag. 86., Hyginus lib. 2., Aſtronomic. cap. 9. pag. 443., Tzetzes ad Lycophron. ℣. 836., Salmaſi s Exercitat. Plinian. pag. 570.
(c) Apollod. lib. 2. Bibl. c. 4. §. 3. p. 86., Hyginus fab. 64. pag. 131.
(d) Metamorph. IV. ℣. 690.
(e) Lib. I. Aſtronomic. ℣. 354. & ſequent. p. 40. Pariſ. 1679.
(f) Propertius lib. 3. Eleg. 20, ℣. 29. p. 881. t. I. Corp. Veter. Poetar., Ovidius Metamorph. IV. ℣. 677.
(g) Nonnus Dionyſiacor. XLVII. ℣. 509. p. 607., Apollodorus lib. 2. Biblioth. c. 4. §. 3. p. 86., Ovidius Metamorph. IV. ℣. 688., Propertius lib. 2. Eleg. 20. ℣. 21. pag. 869., Strabo. lib. 16. Geograph. pag. 1110.
(h) Apollodorus pag. 86., Lucianus Dialog. Tritonis & Nereidum pag. 91., Ovidius Metamorph. IV, 669,
(i) Hyginus fab. 64. pag. 131.
(k) Videantur Nonnus Dionyſiac. XLVII. ℣. 509. & ſeq. p. 607., Apollod. lib. 2. Bibl. c. 4. §. 3. p. 86., Aratus in Phænomen. p. 170., Pauſan. lib. 4. c. 35. p. 370., Ovid. Metam. IV. ℣. 662. & ſeq., Lucianus Dial. Triton. & Nereid. p. 90., Philoſtratus lib. I. Iconum c. 20. p. 806., Hyginus lib. 2., Aſtronomic. c. XI. p. 444.
(l) Vide Apollod. lib. 2. Bibl. c. 4. §. 2. p. 85., Ovid. IV. Metam. ℣. 771. & ſeqq., Hygin. lib. 2. Aſtron. c. 12. p. 445., & Lactant. fab. 17. lib. 4. pag. 815.
(m) Apollod. p. 86., Ovid. Met. IV. ℣. 663., Lact. fab. 19. lib. 4. p. 816.
(n) ℣. 538. pag. 428. edit. Pariſ. 1679.

„ [a] Tandem Gorgonei victorem Perſea monſtri
„ Felix illa dies redeuntem ad littora duxit;
„ Iſque, ubi pendentem vidit de rupe puellam,
„ Diriguit facie, quem non ſtupefecerat hoſtis;
„ Vixque manu ſpolium tenuit, victorque Meduſæ
„ Victus in Andromeda eſt. Jam cautibus invidet ipſis,
„ Feliceſque vocat, teneant quæ membra catenas.
„ At poſtquam pœnæ cauſam cognovit ab ipſa,
„ Deſtinat in thalamos per bellum vadere ponti,
„ Altera ſi Gorgon veniat non territus ire.
„ Concitat aërios curſus; flenteſque parentes
„ Promiſſu vitæ recreat, pactuſque maritum
„ Ad littus remeat. Gravidus jam ſurgere pontus
„ Cœperat, & longo fugiebant agmine fluctus
„ Impellentis monſtri. Caput eminet undas
„ Scindentis, pelaguſque movet. . . . .
„ . . . .
„ . . . . ſed pennis ſubvolat alte
„ Perſeus, & Cœlo pendens jaculatur in hoſtem
„ Gorgoneo tinctum defigens ſanguine ferrum.
„ Illa ſubit contra aſſurgens, converſaque frontem
„ Erigit, & tortis innitens orbibus alte
„ Emicat, ac toto ſublimis corpore fertur.
„ . . . .
„ Tandem confoſſis ſubſedit bellua membris.
„ . . . .
„ Perfudit liquido Perſeus in marmore corpus,
„ Major & ex undis ad cautes pervolat altas.
„ Solvitque hærentem vinclis de rupe puellam,
„ Deſponſam pugna, nupturam dote mariti.

Perſei veſtitus, habitus, ornatus talis eſt, qualem ferme veteres Scriptores [b] perhibent. Pegaſo in aera evehitur; ſic eum deſcribunt Poetæ, ut Brodæus [c] obſervat. Petaſum capite gerit, alas pedibus junctas habet; nam petaſum a Mercurio [d], alas a Nymphis [e], aut Minerva [f] accepiſſe dicitur. Haſtam prælongam ſiniſtra, ac Meduſæ caput dextera [g] tenet. Hoc enim duplici armorum genere uſum fuiſſe, ac victorem tandem extitiſſe Lucianus [h], & Manilius [i] narrant. Hic autem abs re non erit afferre, quod Solinus [k], Pomponius Mela [l], & Hieronymus [m] referunt; In quodam ſcilicet Judeæ oppido commonſtrari hominibus conſueviſſe ſaxum quoddam ingens, in quo vinculorum, quibus devincta Andromeda fuit, veſtigia apparebant. Plinius [n] autem (quod magis mirere) auctor eſt, Marcum Scaurum, ſua in Ædilitate, immania belluæ cujuſdam oſſa Populo Romano oſtentaſſe, cui Andromeda expoſita fuiſſe dicebatur. Tanta fuit ſuperſtitio veterum Romanorum. TA-

(a) ℣. 567. pag. 431.
(b) Vide Pauſaniam lib. v. cap. 18. pag. 423., Albricum de Deorum Imaginibus cap. 21. pag. 929.
(c) Comment. in Epigramm. Græc. lib. 1. p. 3. & 66. Baſileæ 1549.
(d) Hyginus lib. 2. Aſtronomic. cap. 12. pag. 445.
(e) Pauſanias lib. 3. cap. 17. pag. 251., Scholiaſtes Apollonii Rhodii lib. 4. ℣. 1515., Tzetzes ad Lycophron. ℣. 838.
(f) Lucianus in Dialog. Triton. & Nereid. pag. 90.
(g) Vide Nonnum Dionyſiac. 47. ℣. 560. pag. 607., Albricum de Deor. Imag. cap. 21. pag. 930., & Montfauçon. tom. 1. Antiq. Expliq. pag. 146. tab. 86. num. 3. 4. & 5.
(h) In Dialog. Triton. & Nereid. pag. 90.
(i) Lib. v. Aſtronomic. ℣. 594. pag. 432.
(k) Polyhiſtor. cap. 47. pag. 350.
(l) Lib. 1. de Situ Orbis cap. 11. p. 165. edit. Baſileæ 1543.
(m) Comment. in c. 1. Jonæ p. 134. tom. 4. Oper. edit. Victorii.
(n) Lib. 9. cap. 5. Hiſtor. Natural.


Ann Carac Inu.
Arnoldo Van Westerhout


Tab. XII.
us Romæ. Cum Priuil S. Pontificis.
C. Cesius del et sculp

TABULA XII.

PERSEUS SOCIOS PHINEI VERTENS IN LAPIDES.



Abula, quam depingendam Caraccius, nos explicandam ſuſcepimus cum ſuperiore illa cohæreſcit omnino, atque connectitur. Eſt enim hujuſmodi. Vix Perſeus immanem confecerat belluam, atque Andromedam jure ſibi debitam, quod ſic cum Cepheo pactus [a] eſſet, in conjugem receperat; cum ecce novum illi certamen pro Andromeda inſtituendum fuit. Nam Phineus Cephi frater [b], cui pridem Andromeda deſponſa fuerat, præreptam ſibi ſponſam conquerens, Perſeum una cum ducentis [c] aliis aggreditur illo ipſo nuptiarum die, atque impetum facit, quum caleret maxime, ac celebraretur omnium ſermone, lætitiaque convivium, & Perſeus ſua facinora Cepheo, ſponſæque obſtupeſcentibus glorioſius prædicaret [d]. At ubi ille intellexit id agi, atque id parari, ut ſponſa ſibi ſua eriperetur, pro ſe manus affert, arma ſumit; clamor interea fit tota domo, pugna inter ipſum & hoſtes. Hic multi interficiuntur, reliqui objecto Meduſæ capite in ſaxa convertuntur. Fabellam Apollodorus [e], Hyginus [f], Lactantius [g], Tzetzes [h] narrant, atque in primis Ovidius [i], quem fortaſſe unum Caraccius ſibi propoſuit ad imitandum. Hinc tumultum concitatum, menſam ſubverſam, pocula, amphoras, patinas dejectas humi videmus; tum Perſeum ſtricto gladio ſeſe hoſtibus objicientem, ac ſiniſtra Meduſæ caput efferentem; inde Theſcelum [k], qui dum haſtam adverſus Perſeum manu contorquet, hæret; inde Erycem, qui immotus & ipſe manet, dum haſta Perſeum configere parat. Adſunt Perſei comites, qui manibus ſibi ora obducentes, ab aſpectu Meduſæ ſeſe avertunt. Conſpiciendus autem in primis exhibetur miles in genua provolutus, qui dum mortem deprecatur, in ſaxum vertitur. Nam qui in terra mortuus jacet, facie ad cœlum converſa, is Actorides Erithon eſt ex Phinei ſociis unus [l]. Non prætereunda tamen Ovidii [m] carmina rem elegantiſſime deſcribentis:

„ Ve-

(a) Apollodorus lib. 2. Biblioth. cap. 4. §.3. pag. 86., Ovidius Metamorph. IV. ℣. 702. & ſequent., Manilius lib. V. Aſtronomic. ℣. 605. pag. 433.
(b) Apollodorus lib. 2. Biblioth. cap. 4. §. 3. pag. 87., Ovidius Metamorphoſ. V. ℣. 13., Scholiaſtes Apollonii Rhodii lib. 2, ℣. 178.
(c) Lactantius fab. 1. lib. V. pag. 819.
(d) Ovidius Metamorphoſ. IV. ℣ 771, & ſequent.
(e) Lib. 2. Biblioth. cap. 4. §, 3. pag. 87.
(f) Fab. 64. pag. 131.
(g) Fab. 1. lib. V. pag. 818.
(h) Ad Lycophron. ℣. 838.
(i) Metamorphoſ. V. ℣. 1. & ſequent.
(k) Bellori Spiegazione della Galleria Farneſe pag. 440. Felſina Pittrice.
(l) Vide Ovidium Metamorph. V. ℣. 79. & ſequent.
(m) Metamorph. V. ℣, 177.




Tab. XIII.
Carac Inu.
G.Cesius del. et sculp. Romæ
Westerhout formis Cum Privil. S. Pon.

TABULA XIII.

BACCHI, ET ARIADNES TRIUMPHUS.



Ut nulla Caraccii Tabula eſt, quæ eruditos contuentium oculos tenere poſſit, aut hæc certe eſt, quæ Bacchum Jovis & Semeles (a) filium, una cum Ariadne uxore triumphantem refert. Nihil enim ingenio, artificio priſcis ejuſmodi monumentis cedit, quæ ab ampliſſimis viris Buonarrota (b), Montfauconio (c), & Maffejo (d) in manus hominum emiſſa ſunt. In primis enim Bacchum hic conſpicimus aureo curru inſidentem, quem Tigres trahunt duæ. Pampinis coronatus, & fere nudus (nam dexterum illius humerum vix non pellis Tigrea obtegit) juvenis ſpeciem refert, & altera quidem manu uvæ racemum, altera vero prælongum baculum hedera circumvolutum tenet. Tum prope illum in argenteo ſedens curru, quem Capri trahunt, conſpicitur Ariadne Minois (e) filia, quam ab ingrato Theſeo in littore derelictam, aut illi ſurreptam (f), uxorem ſibi Bacchus adſcivit. Eſt illa ſane eximia forma, dextrumque humerum nudatum habet. Pompam præcedit Bacchi nutricius (g) Silenus coronatus hedera, & inſidens Aſino, quem Satyrus quidam ſenex, ac protervus ducit. Corpore exiguo, obeſo, & ventrioſo ille eſt; aures autem magnas, & prælongas habet, Satyrorum (h) more, quem ne vino obrutus labaſcat Fauni ſuſtinent. Bacchum ſtipat temulenta cohors Bacchantium, Satyrorum, & Faunorum. Et ex Bacchantibus quidem aliæ crotalis ludunt, aliæ thyrſum deferunt, aliæ ciſtam geſtant, aliæ tibias inflant, aliæ ſeminudæ ſaltant, & cymbala perſonant. Fauni, qui ſunt adoleſcentiores, ii Capros, & Tigrides frænis moderantur, & regunt; reliqui vero aut cornua inflant, aut pedum manu tenentes ruſtice & imperite ſaltant. Humi ſtrata jacet Venus, quæ Silenum contuetur. Seminuda illa eſt, ac dextero illius humero puerulus innititur Cupido. Amores demum

G plu-

(a) Homerus hymno II. in Bacchum ℣.1. pag.549. t.2., Euripides in Bacchis ℣.278., & 279. pag.454., Diodorus lib. IV. Biblioth. n. 2. pag. 247., Tibullus lib.3. Eleg.IV. ℣. 140., Ovidius III. Metamorph.261. 520., Hyginus fab.155. pag.268., & fab.179.pag.297., Fulgentius lib.2.Mytholog. cap.15. pag.691.

(b) Oſſervazioni ſopra alcuni Medaglioni antichi pag.427.&430.

(c) Tom. 1. Antiquit. Expliq. p.2. tab. 152. pag. 241., tab.155. n. 8., & tab. 156. pag. 244.

(d) Muſeum Veronenſe pag. 73. Veronæ 1749.

(e) Homerus Odyſſ.XI. ℣. 320.pag. 217., Apollodorus lib.3.Biblioth.cap.1.§2.pag.150.,Heſiodus inTheogon.℣.947.pag.473.

(f) Vide Diodorum lib.4. Biblioth. n.61. pag. 305., Pauſaniam lib. 1. pag. 16., & lib. 10. pag.292.edit. Francofurti.

(g) Orpheus hymn. in Silenum ℣ 1. pag. 514., Diodorus lib. 5. Biblioth. pag.212. Hanoviæ 1604.

(h) Vide Sponium Diſſert.29.Rei Antiquar. pag. 601. t.IV. Poleni, Begerum t.1.Theſaur. Brandemburg.pag.190., t.2.pag.251. 253. 257., Montfauconium t. 1. Supplem. pag. 159. tab. 60., Muſeum Odeſcalchum t.1. p. 17. tab. 13., & Horatium lib. 2. Carmin. Ode XIX. ℣. 3.

plures per aera volitant, quos inter alii hydrias, alii doliola, alii ſcutellas portant. Quin ex illis unus diſtinctam ſtellulis coronam Ariadni imponit. Jam vero hæc Bacchum depingendi ratio neque nova [a] plane eſt, neque abſque ratione inducta videtur. Nam Bacchum, ſubactis Indis [b], magnificum, ampliſſimumque triumphum [c] egiſſe dicitur; neque non triumphalem illius currum Tigres traxiſſe, Vates [d] fabulati ſunt. Sic Ovidius I. de Arte amandi ℣. 594.

„ Jam Deus e curru, quem ſummum texerat uvis,
„ Tigribus adjunctis aurea lora dabat.

Sic Martialis [e]:

„ Nam cum captivos ageret ſub curribus Indos,
„ Contentus gemina Tigride Bacchus erat.

Bacchi figura, veſtitus, ornatus ejuſmodi ſunt, quales paſſim Poetæ perhibent. Juvenis in primis ſpeciem refert; ſic illum & vetuſta monumenta [f] exhibent, & Tibullus [g], Fulgentius [h], atque Albricus [i] deſcribunt, & Ovidius, cum aliis in locis [k], tum Faſtorum III. [l] inquiens:

„ Puer ſemper, Juveniſque videris,
„ Et media eſt ætas inter utrumque tibi.

Pampinis autem eſt coronatus, & uvam manibus tenet, quod vitis aut inventor [m], aut demonſtrator [n] fuerit. Profecto Tibullus [o] inter Bacchi inventa, illud etiam refert, quod:

„ Docuit teneram palis adjungere vitem.

Et Horatius [p] eam ipſam obrem Bacchum inducit:

„ Cingentem viridi tempora pampino.

Nam & in vetuſtis monumentis pampinis [q] coronatus, & uvam manibus [r] tenens apparet. Nudus præterea depingitur, quæ Bacchum depingendi ratio antiquiſſima [s], propterea quod vinum, cujus Bacchus Deus [t] eſt,

cor-

(a) Videatur Athenæus lib.v. p.197. 198. 199.,& lib.x. pag.428. Bajerus Theſaur. Gemmar. tab. 13. pag. 29. Norimbergæ 1730.

(b) Poliænus Stratagem. lib. 1. cap.1. n. 3. pag. 12. Lugduni Batav. 1691., Dionyſius de ſitu Orbis ℣. 701. pag. 63. Oxonii 1697., Propertius lib. 3. Eleg. xv. ℣. 21. pag. 879., Hyginus fab. 131. pag.236., Scholiaſtes Apollonii Rhodii II. 906., Fulgentius lib. 2. Mytholog. cap. 15. pag. 692.

(c) Diodorus lib. iv. Biblioth. n. 3. pag. 429., Ovidius Faſtorum III. ℣. 645., Plinius lib. vii. Hiſtor. Natural. cap. 56.

(d) Horatius lib.3. Ode 3. ℣.13., Tibullus lib.3. Eleg.6. ℣. 15. Videantur etiam Spanhemius Diſſert. iv. de Vſu & Præſtant. Numiſmat. num.8. pag.206., Begerus t.2. Theſaur. Brandemb. pag. 157., Montfauconius t.1.p.2.Ant.Expliq. tab.152.pag.241.

(e) Epigrammat. 26. libri viii. ℣. 7.

(f) Vide Philoſtrat. Calliſtrati Statuæ cap. 8. p. 900., Buonarroti Oſſervaz. ſopra i Medaglioni pag. 427. 430., Spanhemium Diſſert. v. Numiſmat. pag. 280. t. 1., Begerum t. 1. pag. 12. 16., & t. 2. pag. 239. 240. 241., Muſeum Florentin. t.1. pag. 159. tab. 83. n.4. 5. 6. & 7., & tom. 3. pag.54. tab. 50.

(g) Lib. 1. Eleg. iv. ℣. 33.

(h) Lib. 2. Mythologic. cap. 15. pag. 693.

(i) De Deor. Imaginib. cap. 19. pag. 926.

(k) Metamorph. III. 607., IV. 17.

(l) ℣. 773. pag. 189.

(m) Euripides in Bacchis ℣.278.pag.454., Nonnus Dionyſ. xii. ℣. 195. pag. 387., Diodorus lib. 4. Biblioth. n. 2. pag. 248., Athenæus lib.xv. cap. v. pag. 675., Ovidius Faſtor. III. 733.

(n) Tertullianus in Apologetic. cap. xi., Auguſtinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 12.

(o) lib. 1. Eleg. viii. ℣. 33.

(p) Lib. III. Carmin. Ode xxv. ℣. 29., & lib. 4. Ode viii. ℣. 33.

(q) Conſule Begerum t.2. Theſaur. Brandemburg.pag.239. 241. 242., Buonarroti Medaglioni pag. 427., Cauſſeum Muſ. Romanum ſect.2.tab.2.pag.34., Montfauconium t.1,p 2.Antiq.Expliq. lib.1. cap.15. n.4. pag.230.; Ovidium quoque Faſtor. III.481., Metamorphoſ. III. 666., & Albricum de Deor. Imaginibus cap. 19. pag. 927.

(r) Vide Albricum pag.927., Choul Religione de' Romani pag. 119., & Muſeum Florentin. t.3. pag.54. tab. 49. & 50.

(s) Videantur Fulgentius lib. 2. Mytholog. cap. 15. pag. 694., Sidonius Apollinaris Burg. Pontii Leontii ℣. 32., Begerus t. 1. pag. 15. & 56., Buonarroti Oſſervazioni ſopra i Medaglioni pag. 433., Muſeum Florentin. t. 3. pag. 54. tab. 50.

(t) Euripides in Bacchis ℣. 279. & ſequent. pag. 454., Antholog. lib.1. cap.38. Epigram.xi.℣.13., Albricus de Deor. Imaginibus cap. 19. pag. 926.

cordis arcana omnia detegat. Hinc Phurnutus [a]: *Simulachra Bacchi.... ponuntur nuda, ut ostendant morum detectionem, quæ in compotationibus, ubi plus satis bibitur, accidere solet.* Quo spectans Basilius [b] Poeta inquit;

„ Arcanum demens detegit ebrietas.

Cui quidem persimile est illud Horatii [c]:

„ Quid non ebrietas designat? operta recludit.

Baculus [d] quoque hedera circumvolutus ipsi tribuitur, quod hedera Baccho gratissima foret. Hinc Ovidius [e]:

„ Hedera est gratissima Baccho.
„ Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
„ Nysiades Nymphæ, puerum quærente noverca,
„ Hanc frondem cunis apposuere novis.

Alii tamen hederam Baccho sacram [f] iccirco fuisse volunt, aut quod puer cum esset hedera coronatus incederet, ut ait Homerus [g]; aut quod ad calorem vini, molestiamque sedandam, hoc a viridi hedera, quasi remedium aliquod, Veteres compararent; quod postremum tradit Athenæus [h]. Neque illud plane novum est, quod Tigridis pelle Bacchus ornatus videatur, cum illum jam pridem ita Claudianus [i] descripserit:

„ Lenisque simul procedit Jacchus,
„ Crinali florens hedera, quem Parthica Tigris
„ Velat, & auratos in nodum colligit ungues.

Nam Ariadnen in Dia [k] insula ab ingrato Theseo derelictam [l], Bacchum sibi uxorem [m] fecisse: & eo ipso nuptiarum die insignem coronam ei dono dedisse, in fabulis [n] accepimus; etsi alii [o] coronam illam a Venere accepisse dicant. Rem descripsit Ovidius [p]:

„ Gnossis in ignotis amens errabat arenis,
„ Qua brevis æquoreis Dia feritur Aquis.
„ Utque erat e somno tunica velata recincta,
„ Nuda pedem, croceas irreligata comas;
„ Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
„ Indigno teneras imbre rigante genas.
„ Clamabat, flebatque simul; sed utrumque decebat:

„ Nec

(a) De Natura Deorum cap. 30. pag. 216. Opuscul. Mytholog. Amstelodami 1688.
(b) Epigramm. de Venere & Vino lib. 1. Epigrammat. Veter. pag. 21. Lugduni 1596.
(c) Lib. 1. Epist. v. ℣. 16. pag. 750.
(d) Vide Montfauconium t. 1. p. 2. pag. 139. tab. 151.
(e) Fastor. III. ℣. 767. pag. 189.
(f) Propertius lib. 4. Eleg. 1. ℣. 62., Plinius lib. 16. Histor. cap. 34., Servius in Virgil. Eclog. VII. ℣. 25. & Eclog. VIII. ℣. 12., Buonarroti Medaglioni pag. 445.
(g) Hymn. in Bacchum ℣. 8. & 9. pag. 561. t. 2.
(h) Lib. 15. cap. 5. pag. 674. edit Lugduni 1612.
(i) Lib. 1. de Raptu Proserpinæ ℣. 16. pag. 515.
(k) Homerus Odyss. XI. ℣. 324. pag. 217., Diodorus lib. 4. Biblioth. n. 61. pag. 305., Philostratus Iconum I. 15. pag. 785. Hyginus fab. 43. pag. 107.
(l) Nonnus Dionysiac. XLVII. vers. 270. pag. 603., Plutarchus in Vit. Thesei pag. 12. t. 1., Catullus Carm. LXIV. de Nupt. Pelei & Thetidis vers. 132., Ovidius Fastor. III. 472. Heroid. X. vers. 1. & sequent., Scholiastes Apollonii Rhodii lib. 3. vers. 996., Athenæus lib. 7. cap. 12. pag. 296.
(m) Nonnus Dionysiac. XLVII. vers. 425. & seq. pag. 605., Ovidius I. de Arte Amandi vers. 555., Fastor. 3. 461. 511., Avienus Arati Phænomena pag. 87. edit. Plantini, Hyginus fab. 43. pag. 107.
(n) Vide Servium in III. Æneid. vers. 125. pag. 511.
(o) Theo. in Aratum pag. 11., Ovidius Fastorum III. vers. 514., Hyginus lib. 2. Astronomic. cap. 5. pag. 435.
(p) I. de Arte amandi vers. 527. pag. 550.

„ Nec facta eſt lacrymis turpior illa ſuis.
„ Jamque iterum tundens molliſſima pectora palmis,
„ Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
„ Quid mihi fiet? ait. Sonuerunt cymbala toto
„ Littore, & attonita tympana pulſa manu.
„ Excidit illa metu, rupitque noviſſima verba:
„ Nullum in exanimi corpore ſanguis erat.
„ . . . .
„ Et color, & Theſeus, & vox abiere puellæ:
„ Terque fugam petiit: terque retenta metu.
„ . . . .
„ Cui Deus, En adſum tibi cura fidelior, inquit:
„ Pone metum; Bacchi, Gnoſſias, uxor eris.
„ . . . .
„ Dixit; & e curru, ne tigres illa timeret
„ Deſilit: impoſito ceſſit arena pedi.
„ Implicitamque ſinu (neque enim pugnare valebat)
„ Abſtulit: ut facile eſt omnia poſſe Deo.
„ Pars, Hymenæe canunt: pars clamant, Evie evoe!
„ Sic cöeunt ſacro nupta Deuſque toro.

Silenum autem quis Bacchi comitem [a] non vidit? quis non ebrium [b], quis non hedera [c] coronatum? quis non a Faunis ſuſtentatum [d], quis non ſimum, ventrioſum, auribuſque magnis, & arrectis [e]? quis non aſello [f] inſidentem? Iterum Ovidius [g]

„ Ebrius ecce ſenex pando Silenus aſello.

Et Seneca [h]

„ Te ſenior turpi ſequitur Silenus aſello,

Satyros quoque, Faunos, & Bacchas ſaltantes in Bacchi comitatu commemorant Scriptores [i]. Nunquam non audiendus Ovidius ita Faſtorum III. [k] canens:

„ Ibat arenoſo Satyris comitatus ab Hebro,

Et alibi [l]:

„ Ecce

[a] Vide Athenæum lib. 5. pag. 198. 199., Lucianum in Bacchis pag. 661.
[b] Virgilius Eclog. 6. 14., Ovidius Metamorph. IV. 26., Begerus t. 1. Theſaur. Brandemburg. pag. 29.
[c] Vide Begerum t. 2. Theſaur. Brandemburgenſis pag. 246., Cauſſeum Muſeum Roman. tab. XI. pag. 8., & Muſeum Florentinum t. 1. pag. 164. tab. 86. n. 1.
[d] Vide Spanhemium ad Cæſares Juliani pag. 393.
[e] Lucianus in Bacchis pag. 661. edit. Lugduni 1549., Muſeum Florentinum t. 1, pag. 174. tab. 91. n. 1.
[f] Ovidius IV. Metamorph. 27., Lucianus in Bacchis pag. 661., Strabo lib. 10. Geograph. pag. 322., Montfauconius Antiq. Expliq. tom. 1. p. 2. pag. 264. tab. 170. n. 2., t. 1. Supplem. tab. 60. n. 5. pag. 159., Muſeum Florentinum t. 1. tab. 86. n. 8. pag. 166., tab. 90, num. 3. pag. 172., tabul. 91. pag. 174.
[g] I. de Art. Amand. verſ. 543.
[h] In Œdipo verſ. 459. pag. 1274. t. 1. Corp. Veter. Poetar.
[i] De Satyris Bacchi ſociis videndi Ælianus lib. 3. Var. Hiſtor. cap. 40., Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap. 7. pag. 141., Sponius Miſcellan. Erudit. Antiquitat. ſect. 2. art. 1. pag. 25., Montfauconius p. 2. t. 1. lib. 1. c. 15. n. 4. pag. 240. De Faunis Nemeſianus Eclog. III. verſ. 25., Sponius pag. 25., Buonarroti Medaglioni pag. 437., Montfauconius pag. 239.. De Bacchis Dio Chryſoſtomus Orat. 35. pag. 224., Sponius pag. 25., Muſeum Veronenſe pag. 73.
[k] verſ. 737. pag. 187.
[l] I. De Art. Amandi verſ. 541.

„ Ecce Mamillonides ſparſis in terga capillis:
„ Ecce leves Satyri prævia turba Dei.

Quin Metamorphoſeon XI. [a]

„ Hunc aſſueta cohors Satyri, Bacchæque frequentant.

Et Catullus [b]

„ At parte ex alia florens volitabat Jacchus,
„ Cum thyaſo Satyrorum, & Nyſigenis Silenis,
„ Te quærens Ariadna, tuoque incenſus amore:
„ Qui tum alacres paſſim lymphata mente furebant
„ Evoe baccantes, Evoe capita inflectentes.

Cur autem Satyros Baccho addiderint Veteres, rationem hanc tradit Diodorus libro IV. Bibliothecæ [c] inquiens: *Satyros præterea illi adjungunt, qui in ſaltationibus, & ludis tragicis, riſus jocique oblectamenta Deo cieant. Nam ut Muſæ liberalis diſciplinæ bonis illum juvant, & demulcent: ita Satyri ludricis, & ad riſum compoſitis geſtibus, & actionibus, vitam Dionyſio beatam, Gratiiſque delibutam reddunt*. Phurnutus [d] autem: *Dementiæ, & furoris*, inquit, *ſymbolum ſunt Satyri, ſic dicti, quod rideant, inſtar canum ora diſtendentes.... Sileni autem nomen acceperunt, quod conviciis proſcindant quoslibet.... Per hæc omnia tamquam ſub enigmate declaratur, quam effæminata & mollis ſit compotantium, & ebrietati operam dantium ſapientia*. Sic autem Satyros [e], & Faunos [f] depinxit Caraccius, quales paſſim in vetuſtis monumentis apparent; id quod & in depingendis Bacchis ab eo factum videmus; nam Bacchæ furibunde ſaltantes [g], cymbala [h] & crotala [i] pulſantes, tibias inflantes [k], thyrſumque [l] gerentes, qui Bacchi erat inſigne [m], paſſim in monumentis antiquis occurrunt; in quibus etiam videas Capros Satyris [n], & Faunis [o] junctos: Capros Baccheos currus trahentes [p], Amoreſque Bacchi ſocios [q], & comites. Quoniam vero magna Bacchum inter & Venerem conjunctio [r] eſt; quamobrem Euripides [s] inquit:

H „ Nam

[a] Verſ. 89. pag. 546.
[b] Carm. 64. de Nupt. Pelei verſ. 251. pag. 120.
[c] pag. 213. edit. Hanoviæ 1604.
[d] De Natura Deorum cap. 30. pag. 215. Amſtelodami 1688.
[e] Vide Sponium Diſſ. 29. Rei Antiquar. pag. 601. t. 4. Poleni, Begerum t. 2. pag. 257., Bajerum Theſaur. Gemmar. tab. 7. n. 3. 4. 5. pag. 21., Montfauconium p. 2. t. 1. pag. 240.
[f] Vide Sponium Miſcellan. Erud. Antiq. ſect. 2. art. 1. pag. 25., Begerum t. 1. pag. 18., tom. 2. pag. 198. 247. 252. 255. & 380., Buonarroti Medaglioni pag. 437., Bajerum Theſaur. Gemmar. tab. 7. n. 3. 4. & 5. pag. 21., Montfauconium pag. 232. t. 1. p. 2. tab. 143. n. 1. & 2., Muſeum Veronenſe pag. 73., Muſeum Florentinum t. 1. pag. 164. tab. 86. n. 7. & 9., pag. 168. tab. 88. n. 4., pag. 174. tab. 91. n. 5.
[g] Vide Sponium Diſſ. 29. Rei Antiq. pag. 601. t. 4. Poleni, & ſect. 2. Miſcell. Antiquitat. art. 1. pag. 25., Cauſſeum Muſ. Roman. ſect. 1. tab. 53. pag. 27., Montfauconium tab. 165. t. 1. p. 2. pag. 256., Muſeum Florentinum t. 1. pag. 166. tab. 87. n. 1.
[h] Sponius Diſſ. 29. Rei Antiq. pag. 601., Begerus tom. 2. pag. 244., Montfauconius tab. 142. n. 1. pag. 230., & tab. 163. pag. 252. t. 1. p. 2., Bajerus Theſ. Gemm. pag. 21. tab. 7. n. 3. 4. & 5.
[i] Montfauconius pag. 232. tab. 143. n. 1. & 2., & pag. 252. tab. 164. n. 1. t. 1. p. 2. Ant. Expliq.
[k] Bajerus Theſaur. Gemm. pag. 21. tab. 7. n. 3. 4. & 5., Muſeum Veronenſe pag. 73.
[l] Sponius Miſcellan. Frudit. Antiq. ſect. 2. art. 1. pag. 25., Cauſſeus ſect. 1. tab. 53. pag. 27., Montfauconius tab. 142. n. 1. pag. 230. Vide etiam Diodorum lib. 4. n. 3. Bibl. pag. 248., Ovidium IV. Metamorph. 6. 25., Philoſtratum Calliſtrati Statuę cap. 2. pag. 892.
[m] Vide Euripid. in Bacchis verſ. 305., Horatium lib. 2. Ode 19. verſ. 8., Ovid. Faſtorum III. 764., Propertium lib. 2. Eleg. XXII. verſ. 34., Phurnutum de Nat. Deor. cap. 30. pag. 216., Albricum de Deor. Imagin. cap. 19. pag. 927., Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 19. pag. 267., Cuperum Harpocrat. pag. 122., Silveſtri notas in Juvenal. Satyr. VI. n. 70. pag. 342.
[n] Muſeum Florentinum t. 1. pag. 170. tab. 89. n. 1. 2. & 3.
[o] Muſeum Florentinum t. 1. pag. 172. tab. 90. n. 1. & 6.
[p] Muſeum Florentinum t. 1. pag. 178. tab. 94. n. 2.
[q] Buonarroti Medaglioni pag. 427. 430., Montfauconius tab. 143. pag. 232. t. 1. p. 2. Antiq. Expliq.
[r] Vide Nonnum Dioniſiac. XXXI. verſ. 269. pag. 501., Lucianum in Amoribus pag. 454., Scholiaſten Ariſtophanis Acharn. 262. 263. 264., Nemeſianum Eclog. III. verſ. 56. pag. 404. Lugd. Batavorum 1728., Anonymum de Incredibilib. cap. 16. pag. 49. Excerpt. Allatii, & Begerum t. 2. Theſaur. pag. 243.
[s] In Bacchis verſ. 772. pag. 461.

„ Nam vino ſublato non eſt Venus,
„ Neque ulla alia voluptas hominibus amplius:

Venerem iccirco in hoc Bacchi triumpho depinxit Caraccius. Ut autem innueret Bacchum & Venerem homines ad eas pellicere voluptates, quæ non hominum, ſed pecudum maxime propriæ ſunt, Capram prope Venerem poſuit. Nam eſt hoc animal effrænis libidinis indicium [a], quod in libidinem cœteris proclivius [b]. Hinc Corinthii, teſte Pauſania [c], ad ſepulchrum Laidis Caprum collocarunt, quo ſcilicet effrænem meretricis illius libidinem ſignificarent.



TA-

[a] Angeloni Storia Auguſta pag. 136.
[b] Videantur Varro Ruſtic.II.3., Martialis lib. XIII. Epigr. 39. verſ.1.p.527.Amſtelodami 1702.,Begerus t.1.Theſaur.pag.177.
[c] Lib. 2. pag. 40. edit Françofurti 1583.

Tab. XIV 1.




Tab. XIV. 2.
C. Cesius del. et. sculp
Westerhout formis. Cum Priuil. S. Pontifi.

TABULA XIV.

I.

SALMACIS, ET HERMAPHRODITUS.



Ermaphroditum Veneris & Mercurii [(a)] filium, puerum formosissimum, cum pellicere ad amorem sui non posset Salmacis Nympha, illum in fonte se lavantem contuita, subito, abjectis vestimentis, accurrens, arctissime complexa est. Verum cum ne ita quidem animum Juvenis inflectere, ejusque expugnare pudicitiam posset, a Diis petiit, ut quoniam amore illius frui non poterat, in unum cum illo coalesceret; id quod & consequuta perhibetur. En quo spectet tabella ista, in qua Juvenes duos in fonte quodam videmus sese arctissime complectentes, ut jam in unum coalescere corpus incipiant. Quam rem cum latissime apud Ovidium descriptam habeamus, quem sibi ad imitandum Caraccius proposuit, dignus maxime est qui audiatur. Sic itaque Metamorphoseon IV. canit [(b)], postquam Salmacem nudum Hermaphroditum vidisse retulit:

„ Tum vero obstupuit; nudæque cupidine formæ
„ Salmacis exarsit. Flagrant quoque lumina Nymphes.
„ . . . .
„ [(c)] Visimus, en meus est, exclamat Nais: &, omni
„ Veste procul jacta, mediis immittitur undis:
„ Pugnacemque tenet; luctantiaque oscula carpit:
„ Subjectatque manus, invitaque pectora tangit:
„ Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac.
„ Denique nitentem contra, elabique volentem
„ Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales.
„ . . . .
„ [(d)] Perstat Atlantiades. sperataque gaudia Nymphæ
„ Denegat. illa premit; commissaque corpore toto
„ Sicut inhærebat, Pugnes licet, improbe, dixit,
„ Non tamen effugies. ita Dî jubeatis, & istum
„ Nulla dies a me, nec me seducat ab isto.
„ Vota suos habuere Deos. nam mista duorum

„ Cor.

(a) Diodorus lib.4.Biblioth. n.6. pag.252., Ovidius Metamorph. IV. 288., Lucianus Dialog. Apollinis & Mercurii pag. 66.
(b) ℣. 346. pag. 185.
(c) ℣. 356. pa. 186.
(d) ℣. 368. pag. 187.

„ Corpora junguntur: faciesque inducitur illis
„ Una.

Ausonius etiam hanc ipsam fabellam commemorat Epigrammate CI. [a]. Immo apud Sponium [b] duæ elegantissimæ sculptæ Gemmæ rem totam exhibent. Jam vero fontem illum, in quo res ista contigit, Salmacem dictum, infamem putarunt Veteres, quod Hermaphroditus a Venere & Mercurio impetrasset, ut:

„ [c] Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
„ Semivir, & tactis subito mollescat in aquis.

Et quidem præter Ovidium [d], Strabo [e] etiam infamem illum dicit; quamvis Vitruvius [f] id falsa opinione credi affirmet, inquiens: „ Salmacis falsa opinione putatur venereo morbo implicare eos, qui ex eo biberint. „ Sed hæc opinio, quare per Orbem terrarum falso rumore sit pervagata, „ non pigebit exponere. Non enim, quod dicitur, molles & impudicos „ ex ea aqua fieri, id potest esse: sed est ejus fontis potestas perlucida, „ saporque egregius. Cum autem Melas, & Arevanias ab Argis & Troezene coloniam communem eo loci deduxerunt, barbaros Caras & Lelegas ejecerunt. Hi autem ad montes fugati se congregantes discurrebant, „ & ibi latrocinia facientes crudeliter eos vastabant. Postea de Colonis „ unus ad eum fontem, propter bonitatem aquæ, quæstus causa, tabernam omnibus copiis instruxit, eamque exercendo eos barbaros allectabat: ita singulatim decurrentes, & ad coetus convenientes, e duro feroque more, commutati in Græcorum consuetudinem & suavitatem, sua „ voluntate reducebantur. Ergo ea aqua non impudico morbi vitio, sed humanitatis dulcedine, mollitis animis barbarorum, eam famam est adepta. Fortasse ex iis, quæ circa cum fontem contigisse narrat Vitruvius, Poetæ, occasione sumpta, fabulam Hermaphroditi, & Salmacis commenti sunt; atque hæc quidem Banieri [g] est sententia Mythologi omnium eruditissimi. Festus [h] tamen rationem aliam reddit, cur Salmacis fons infamis haberetur, scilicet: „ Quod ejus aditus angustiatus parietibus, occasionem largitur juvenibus petulantibus antecedentium puerorum, puellarumque violandarum, quia non patet refugium. Festi explicationem sequutus est Gyraldus Syntagmate V. [i] de Deis Gentium, qui Festi citata verba cum alleget, perperam profecto illum reprehendit Banierus [k], quasi ipse primus explicationem istam commentus esset.

Ta-

(a) pag. 64. Parif. 1730.
(b) Differtat. vi. Rei Antiquar. pag. 435. t. 4. Poleni.
(c) Ovidius Metamorph. iv. ỳ. 385. pag. 188.
(d) Metamorph. iv. 285. & xv. 319.
(e) Lib. 14. pag. 656. edit. Amftelodami 1707.
(f) Lib. 2. Architect. cap. 8. pag. 30. Amftelodami 1649.
(g) Tom. viii. Mytholog. lib. 7. cap. 3. pag. 22.
(h) De Verborum fignificatione lib. 17. verbo *Salmacis* pag. 491. Parifiis 1681.
(i) pag. 244.
(k) Tom. viii. Mytholog. pag. 22.

TABULA XIV.

II.

PAN AB AMORE VICTUS.



MAximam, ac pene incredibilem vim Cupidini antiquos tribuisse Scriptores [(a)], adeo certum exploratumque est, ut vix ullus dubitandi sit locus. Inde enim tot illæ, ac tantæ ab iis excogitatæ fabellæ [(b)] de Diis, quos Cupido insignibus suis, ad omne ludibrium, spoliavit. Nam Jovi fulmina, Phœbo sagittas, Herculi clavam, Marti galeam, Mercurio talaria, Dianæ facem, Baccho thyrsum, Neptuno tridentem, illum eripuisse ferunt; Inde illud Virgilii [(c)] *omnia vincit Amor*; Inde quoque illud Ovidii [(d)]:

„ Regnat, & in Dominos jus habet ille Deos.

Hæc igitur probe intelligens Caraccius, priscos artifices imitatus, quod qui faciunt, ii vere sunt laudatissimi, Pana ab Amore devictum elegantissime depinxit. Et quidem, ad summam Cupidinis potentiam commonstrandam in cœlestia quælibet ac terrena, nihil aptum magis effingi poterat, quam Cupidinis de Pane victoria, propterea quod Pan universæ naturæ symbolum referat, uti veteres Scriptores [(e)] testantur. Nam etsi Albricus Philosophus [(f)] Amorem a Pane devictum fuisse dicat; Servius [(g)] tamen Amorem Pana vicisse affirmat, inquiens: *Pan.... Poetis fingitur cum Amore luctatus, & ab eo victus*. Id quod & monumenta quædam a Rubeo [(h)], Montfauconio [(i)], & Gorio [(k)] edita ostendunt, in quibus ejusmodi Cupidinis de Pane victoria, expressa habetur. Hic itaque Pana habemus dejectum humi, quem puerulus Amor cornibus apprehensum, & frustra repugnantem tenet. Pendet ab arboris ramo fistula Panis insigne [(l)], eaque sex est compacta cicutis, quod profecto haud novum [(m)] est. Alterius arboris trun-

(a) Plato in Convivio pag. 374. t. 2. Operum, Anacreon apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromat. pag. 623. Parisiis 1641., Oppianus Cyneget. lib. 2. ℣. 410. pag. 101., Nævius in Fragmentis ℣. 111. pag. 337. t. 1. Corp. Vet. Poetar., Tibullus lib. 2. Eleg. 1. ℣. 67. & sequent., Propertius lib. 2. Eleg. XXII. ℣. 23. & 59., Ovidius Amor 1. Eleg. 1. ℣. 13., Lactantius lib. 1. Divin. Institut. cap. XI. pag. 67.

(b) Vide lib. 4. Antholog. cap. 12. Epigr. 63. & 64. pag. 661. t. 2. Corp. Vet. Poetar. Græcor.

(c) Eclog. X. ℣. 69.

(d) Heroid Epist. IV. ℣. 12.

(e) Videantur Phurnutus de Natura Deorum cap. 27. pag. 203., Servius in Eclog. II. Virgil. ℣. 31. pag. 17., Eusebius lib. 3. Præparat. Evangelicæ cap. 14. pag. 124. Coloniæ 1688., Albricus de Deorum Imaginibus cap. 9. pag. 914., Isidorus lib. VIII. Originum cap. 11.

(f) De Deorum Imaginibus cap. 9. pag. 915.

(g) In Eclog. II. Virgilii ℣. 31. pag. 13.

(h) Memorie Bresciane pag. 148. Brescia 1693.

(i) Tom. 1. Supplement. tab. 64. n. 2. pag. 165.

(k) Part. 1. Inscriptionum Antiquar. Etruriæ pag. LXXIX. tab, XVI. n. 4.

(l) Vide Pausaniam lib. 8. cap. 31. pag. 664., Antholog. lib. IV. cap. 10. Epigramm. 74. pag. 662., Albricum de Deor. Imaginibus cap. 9. pag. 915., Servium in Eclog, II. Virgil. ℣. 31, pag. 17., Begerum t, 1. pag. 170., Ebermayer Capita Deorum in Gemmis Tabul. 2. n. 35. pag. 16. Francofurti 1721., Montfauconium t. 1. Supplementi tab. 64. pag. 164.

(m) Vide Begerum t. 2. Thesaur. Brandemburg. pag. 449., & Bartholinum de Tibiis Veterum lib. 3. cap. 6. pag. 212. Romæ 1677.

co appenſa manet pharetra, quæ Amoris ſignum [a] habetur. Hinc Propertius [b] Amorem deſcribens, ita canit:

„ Et pharetra ex humero Gnoſſia utroque jacet.

Sed ut ad Pana redeamus, hic illud plane reticendum non eſt, tam multa, eaque ſibimetipſis contraria de illius origine referri, vix ut unum Scriptorem, ea in re, cum alio conſentientem invenias. Homerus [c], Nonnus [d], Herodotus [e], Lucianus [f], & Hyginus [g] Mercurii & Penelopes filium faciunt. Alii [h] Penelopes quidem filium dicunt, ſed eam cum omnibus Arcadiæ procis rem habuiſſe volunt, e quorum congreſſu natus ſit Pan. Epimenides [i] Poeta e Jove & Calliſto natum putavit. Apollodorus [k], & Tzetzes [l] Jovis & Contumeliæ filium fuiſſe affirmant. Alii [m] e Jove & Nympha Oenide procreatum malunt. Nec deſunt, qui [n] e Cœlo & Terra natum ſcribant. Phurnutus [o] de Pane loquens ait, quod: *Inferior pars hujus Dei hiſpida eſt, & hircum refert ad deſignandam aſperitatem terræ. Superior autem pars ſimilis eſt homini. Nam æther propterea quod in ipſo ratio ſita ſit, tenet totius mundi imperium.* Cur autem cornua illi addiderint Veteres, explicat Polienus [p] inquiens: *Bacchi dux fuit Pan. Is primum invenit aciem, phalangem nominavit, cornu inſtituit dextrum, & ſiniſtrum. Hac de cauſa ferentem cornua Pana fingunt.*



TA-

(a) Videantur Ovidius Metamorphoſ. I. ℣. 468., Montfauconius t. I. p. I. pag. 181. tab. 115. n. 5., & pag. 184. tab. 119., & t. I. Supplem. pag. 165. tab. 64. n. 2., Muſeum Odeſcalchum t. 2. tab. 7. pag. 15.
(b) Lib. 2. Eleg. 9. ℣. 10.
(c) Hymno in Pana ℣. 1. pag. 557. t. 2. Operum.
(d) Dionyſiac. XXIV. ℣. 87. pag. 458.
(e) Lib. 2. Hiſtor. cap. 145. pag. 146. Francofurti 1608.
(f) In Dialogo Panos & Mercurii pag. 75.
(g) Fabul. 224. pag. 345.
(h) Vide Scholiaſten Theocriti Idyll. I. 23., & Lilium Gyraldum Hiſtor. Deor. Syntagm. XV. pag. 62.
(i) Vide Scholiaſten Theocriti Idyll. I. 23., VII. 109., Natalem Comitem lib. V. Mytholog. cap. 6. pag. 137.
(k) lib. I. pag. 13.
(l) In Lycophronem pag. 23.
(m) Natalis Comes lib. 5. cap. 6. pag. 137.
(n) Natalis Comes lib. V. cap. 6. pag. 137.
(o) Cap. 27. de Natura Deorum pag. 203.
(p) Stratagemat. lib. I. cap. 2. pag. 14. Lugduni Batavorum 1691.

Tab. XV. 1.




Ann Carac. Inv.
C. Cesius del. et sculp.
Westerhout formis Cum Privil.

TABULA XV.

I.

APOLLO, ET MARSYAS.



Bjectas a Minerva [a] tibias, quod oris turpitudinem quamdam in iis inflandis, minimeque decentem videret; cum reperiſſet [b] Marſyas Hjagnidis [c] filius, Tibicen evaſit præſtantiſſimus [d]. Eam ob rem, ſuperbia atque arrogantia tumens, Apollinem ipſum Muſices [e] & Cantorum Deum provocavit ea lege, ut victor qui futurus eſſet, de victo ſupplicium, quod placeret, ſumeret. Victus itaque Marſyas, Muſarum [f], ſeu, ut alii [g] volunt, Nyſæorum ſententia, qui judices delecti fuerant certaminis illius; Apollo illum ad truncum Pini [h], ſeu Platani [i] arboris alligavit, eique pellem crudelem in modum detraxit. Sed quæ tantæ temeritati pœna non debita? Fabellam cujus apud Nonnum [k], Apollodorum [l], Ptolomæum Hepheſtionis [m], Palephatum [n], Diodorum [o], Strabonem [p], Lucianum [q], Solinum [r], Plutarchum [s], Apulejum [t], alioſque plures [u] mentio habetur, paucis complexus eſt Ovidius Faſtorum VI. [x]; quo in loco, cum retuliſſet Minervam tibias abjeciſſe, tum ita canit:

„ Inventam Satyrus primum miratur: at uſum
„ Neſcit, & inflatam ſentit habere ſonum.
„ Et modo demittit digitis, modo concipit auras;
„ Jamque inter Nymphas arte ſuperbus erat.
„ Provocat & Phœbum. Phœbo ſuperante pependit:
„ Cæſa receſſerunt a cute membra ſua.

In hoc autem certamen Marſyam & Apollinem veniſſe, memoriæ proditum eſt

(a) Videantur Apollodorus lib. I. Biblioth. cap. 4. §. 2. pag. 11., Palephatus de Incredibilibus cap. 48. pag. 58., Athenæus Deipnoſophiſt. lib. 14. cap. 1. pag. 616., Phurnutus de Natura Deorum cap. 20. pag. 188.
(b) Apollodorus lib. 1. Bibl. cap. 4. §. 2. pag. 11., Hyginus fab. 165. pag. 279.
(c) Nonnus Dionyſiac. x. ỷ. 233. pag. 374. t. 2., Apulejus lib. 1. Floridor. cap. 3. pag. 761., Plutarchus in lib. de Muſica pag. 116. t. 2. Opuſcul., Prideaux Marmor. Oxonienſ. pag. 169.
(d) Pauſanias lib. x. cap. 30. pag. 873., Plutarchus de Muſica pag. 115. t. 2. Opuſcul., Libanius Narration. cap. 14. pag. 61.
(e) Ovidius Metamorph. I. 518., Phurnutus de Natur. Deor. cap. 32. pag. 226.
(f) Lucianus in Dialogis Deorum pag. 67., Apulejus lib. 1. Floridor. cap. 3. pag. 762., Libanius in Narration. cap. 14. pag. 62., Hyginus fab. 165. pag. 279.
(g) Diodorus lib. 3. Biblioth. n. 59. pag. 277. Amſtelod. 1746.
(h) Archius lib. 3. Antholog. cap. 8. Epigramm. 3. pag. 602., Apollodorus lib. 1. Biblioth. cap. 4. §. 2. pag. 11., Salmaſius Exercitat. Plinian. in Solinum parte 2. pag. 834.
(i) Plinius lib. 16. cap. 44. pag. 339.
(k) Dionyſiac. x. ỷ. 232. pag. 374.
(l) Lib. 1. Biblioth. cap. 4. §. 2. pag. 11.
(m) Apud Photium Cod. 190. pag. 478.
(n) De Incredibilibus cap. 48. pag. 58. Opuſcul. Mytholog. Amſtelodami 1688.
(o) Lib. 3. Biblioth. n. 59. pag. 227.
(p) Lib. 12. pag. 866. Amſtelod. 1707.
(q) Dialog. Junonis & Latonæ pag. 67.
(r) Polihiſtor. cap. 53. pag. 269.
(s) In Sympoſiac. VII. Quæſt. 8. pag. 277. t. 2. Opuſcul.
(t) Lib. 1. Floridor. cap. 3. pag. 762.
(u) Videantur Statius Thebaid. IV. ỷ. 186. pag. 128., Plinius lib. 5. cap. 29., & lib. 16. cap. 45., Juvenalis Satyra IX. ỷ. 2. pag. 414.
(x) ỷ. 696. pag. 356. Vide & Metamorph. VI. ỷ. 382., Ibis 551. pag. 805.

eſt apud Celænas Phrigiæ Magnæ urbem, quod Xenophon (a), Herodotus (b), Strabo (c), Livius (d), Ælianus (e), aliique (f) teſtantur. Immo Plato (g), atque Herodotus (h) ex pelle Marſyæ detracta, utrem fuiſſe confectum, & in Celænarum Urbe ſuſpenſum narrant, ad exemplum & memoriam facti ſempiternam; Quod & Claudianus prodit libro II. in Eutropium ℣. 255. (i). Jam vero totam hanc Marſyæ fabulam, ſeu potius hiſtoriam (k) hac in tabula deſcriptam habemus. In primis ecce Satyrus ipſe Marſyas manibus in altum elatis, atque ad arboris truncum revinctis. Pendent ex Arboris ejuſdem ramis tibiæ, ſeu fiſtula quinque compacta calamis, tanti mali initium. Marſyas cornutam Satyri faciem præfert. Nam Satyris illum accenſent Archius [l], Ovidius [m], Lucianus [n], & Hyginus [o], etſi Herodotus [p], & Pauſanias [q] Sylenum nominent. Stat ante illum Apollo, qui Cythara humi depoſita, cultro pellem ei detrahit. Philoſtratus [r], & Hyginus [s] ab uno e Scythis, jubente Apolline, ſupplicium illud de Marſya ſumtum produnt. At reliqui Scriptores [t] Apollinem ipſum Marſyæ carnificem contendunt. In pluribus Antiquis monumentis, quæ Gorlæus [u] Begerus [x], Maffejus [y], Montfauconius [z], Gorius [aa], Venutus [bb], & Galeottus [cc] ediderunt, hæc ipſa fabella expreſſa eſt. Immo Villelmus Choul [dd], antiquum quoddam ſigillum Neronis edidit, quod hoc ipſum Marſyæ ſupplicium refert. Non inepta eſt hujus fabulæ explicatio, quam tradit Fortunius Licetus [ee] ſcriptor magnæ eruditionis & nominis. Ait enim, poſteaquam Apollo Lyram invenerat, cujus ſoni ſuavitas mire capiebat homines, Marſyam Tibiæ cantorem redactum ad ſummam inopiam fuiſſe, vix ut vitam ſuſtentare ſuam poſſet; atque eam ob rem Veteres, Marſyæ pellem detractam finxiſſe. Alii [ff] Marſyam non Tibicinem, ſed Regem fuiſſe dicunt, cui pellis detracta iccirco fingatur, quod regno ſpoliatus ſit. Nonnulli [gg] Philoſophum putant, & ſapientiæ certamen, ſed infeliciter, & ſua cum ignominia, ſubiiſſe contendunt. Silius Italicus [hh] victum quidem Marſyam ab Apolline dicit, at in Italiam aufugiſſe, Marſoſque Populos ex ſuo nomine nuncupaſſe, vult; quum tamen Aulus Gellius [ii] & Plinius [kk], Marſorum gentis parentem Marſum filium Circes fuiſſe teſtentur.

TA-

(a) Lib. 1. de Expedit. Cyri pag. 105. edit. Enrici Stephani.
(b) Lib. 7. cap. 26. pag. 392. Lugduni Batav. 1715.
(c) Lib. 12. Geograph. pag. 866.
(d) Decade IV. lib. VIII. pag. 666. Baſileæ 1549.
(e) Lib. 3. Var. Hiſtor. cap. 21.
(f) Lucanus Pharſal. 3. ℣. 206., Statius Thebaid. IV. ℣. 186.
(g) In Euthydemo pag. 743. t. 1.
(h) Lib. 7. cap. 26. pag. 392.
(i) Pag. 545. t. 2. Corpor. Veter. Poetar.
(k) Vide Banier. t. IV. Mytholog. pag. 186.
(l) Antholog. lib. 3. cap. 8. Epigr. 3. pag. 602.
(m) Metamorph. VI. 382., Faſtorum VI. 696.
(n) In Tragopodagra pag. 741.
(o) Fab. 165. pag. 279.
(p) Lib. 7. cap. 26. pag. 392.
(q) Lib. 1. cap. 24. pag. 56.
(r) Iconum cap. 2. pag. 865.
(s) Fab. 165. pag. 279.
(t) Diodorus lib. 3. Biblioth. n. 59. pag. 228., Apollodorus lib. 1. Bibl. cap. 4. §. 2. pag. 11., Lucianus Dialog. Junon. & Latonæ pag. 67., Libanius Narrat. cap. 14. pag. 61., Tzetzes Chiliad. 1. cap. 15. ℣. 373. pag. 280.
(u) In Dactyliotheca parte 2. n. 22.
(x) Tom. 2. Theſaur. Brandemburg. pag. 196.
(y) Gemme Antiche figurate part. 2. n. 43. pag. 90. Roma 1707.
(z) Tom. 1. Antiq. Expliq. pag. 106. tab. 53., & 54.
(aa) Muſeum Florentin. tom. III. pag. 19. tab. 13.
(bb) Muſeum Cortonenſe pag. 33. tab. 25.
(cc) Muſeum Odeſchalchum t. 2. pag. 4. tab. 2.
(dd) Diſcorſo della Religione degli Antichi Romani pag. 164. Lione 1559.
(ee) Hieroglyphica cap. 119. pag. 268. Patavii 1653.
(ff) Vide Servium in III. Æneid. ℣. 359., & Begerum t. 2. pag. 198.
(gg) Vide Begerum t. 2. pag. 198.
(hh) Lib. VIII. de Bello Punico ℣. 504. pag. 364. Pariſ. 1618.
(ii) Lib. 16. cap. XI. pag. 895. Lugduni Batav. 1666.
(kk) Lib. 8. cap. 2.

TABULA XV.

II.

BOREAS, ET ORITHYIA.



HOminum ſimilitudo, quæ multis errandi occaſio nunquam non fuit, Poetis, novas comminiſcendi fabellas, amplam ſæpe materiem præbuit; cujus quidem rei cum alia multa exempla ſuppetant, tum illud plane luculentiſſimum, quod Boreæ & Orithyiæ hiſtoria continetur. Cum enim quidam Thraciæ rex, Boreas nomine, Orithyiam Erechthei [a] Athenarum regis filiam rapuiſſet, ut Heſagoras [b], & Euſtathius [c] teſtantur; Poetæ [d] occaſione ex Boreæ nomine accepta, ad Aquilonem ventum id omne tranſtulerunt, atque eum rapuiſſe Orithyiam, ſibique uxorem feciſſe finxerunt; quod ex Apollonio [e], Dionyſio [f], Apollodoro [g], Propertio [h], Statio [i], Silio Italico [k], Hygino [l], aliiſque [m] intelligimus, ac præſertim Ovidio, qui Metamorphoſeon VI. [n] fabellam hanc ita elegantiſſime deſcribit:

„ Boreæ Tereus Thraceſque nocebant;
„ Dilectaque diu caruit Deus Orithyia,
„ Dum rogat, & precibus mavult quam viribus uti,
„ Aſt uti blanditiis agitur nihil, horridus ira,
„ Quæ ſolita eſt illi nimiumque domeſtica vento,
„ [o] Excuſſit pennas. quarum jactatibus omnis
„ Afflata eſt tellus; latumque perhorruit æquor.
„ Pulvereamque trahens per ſumma cacumina pallam;
„ Verrit humum: pavidamque metu, caligine tectus,
„ Orithyiam amans fulvis amplectitur alis.
„ Dum volat; arſerunt agitati fortius ignes;
„ Nec prius aërii curſus ſuppreſſit habenas,
„ Quam Ciconum tenuit populos & mœnia, raptor.

Neque mirum videri debet hæc, aliaque hujus generis multa in Boream ventum contuliſſe Poetas; Veteres enim Aquilonem, non ſecus ac reliquos

(a) Vide Apollodorum lib. 3. Biblioth. cap. 14. §. 1. pag. 229., Herodotum lib. 7. cap. 289. pag. 447. Francofurti 1647., Scholiaſten Apollonii lib. 1. ℣. 212., Hyginum fab. 14. pag. 48., & Meurſium lib. 2. de Regibus Athenienſ. cap. 13. pag. 1089. t. XIII. Antiq. Græcar. Gronovii.
(b) Apud Scholiaſten Apollonii lib. 1. ℣. 212.
(c) In Dionyſium Perieg. n. 60. pag. 221. Colon. Allobrog. 1741.
(d) Euſtathius in Dionyſium Perieget. n. 60. pag. 221.
(e) Argonautic. 1. ℣. 212. & ſeq. pag. 4. t. 2. Corp. Vet. Poet. Græc.
(f) De ſitu Orbis ℣. 425. pag. 39. Oxoniæ 1697.
(g) Lib. 3. Biblioth. cap. 14. §. 2. pag. 230.
(h) Lib. 2. Eleg. 25. ℣. 50., & lib. 3. Eleg. 5. ℣. 29.
(i) Thebaídos XII. ℣. 640.
(k) De Bello Punico lib. VIII. ℣. 514.
(l) Fabul. 14. pag. 48.
(m) Videantur Cicero I. de Legibus n. 4. pag. 271. t. 4. Oper. Baſil. 1540., Heraclitus de Incredibilib. cap. 28. pag. 18. Excerpt. Allatii, Jamblicus de Vita Pythagoræ lib. 1. cap. 34. pag. 204. edit. Commelini 1598., Philoſtratus de Vita Apollonii Tyanenſis lib. IV. cap. 21. pag. 100., Tzetzes Chiliad. I. VII. ℣. 207. pag. 277.
(n) ℣. 682. pag. 311.
(o) ℣. 703. pag. 312.

quos ventos [a], Deorum in numerum referebant; quos raptores, ac puellarum amatores existimasse, nemo ignorat. Atque, ut omittam, ex Astræo, & Aurora [b] Diis genitum eum putasse: profecto Arcades Megalopolitani, teste Pausania [c], Aram Boreæ dicatam habebant, in qua annuum sacrificium, tanta cum pompa, & apparatu agebant, ut nulli Deorum ampliores, quam Boreæ, honores tribuerent. Thurii quoque referente Æliano [d] Templum Boreæ consecrarunt, in quo singulis annis sacrificia offerebant. Athenienses autem, cum Aram Boreæ consecratam [e] venerabantur, tum per Boream jurabant [f], ejusque diem festum solemniter agebant [g], quo die præcipue memoriam Boreæ Orithyiam rapientis celebrabant [h]. Jam vero hujusmodi raptum hac in tabula expressum habemus; in ea enim Boream in aërea sublatum videmus, qui Orithyiam arcte complectitur, ac secum aufert. Et speciem quidem vegeti senis refert ille; Orithyiam autem ita depinxit Caraccius, ut veluti sortem lugentem suam videas. Alas humeris junctas habet Boreas; qua ratione Apollonius [i], & Ovidius [k] eum describunt, & in celebri [l] Ventorum turri, quæ Athenis adhuc extat, & cujus ectypum exhibet Sponius [m], spectandus proponitur. Socrates apud Platonem [n] Orithyiam propterea a Borea raptam fingi ait, quod in terram ab Aquilone dejecta, interempta sit. At mihi Hesagoræ, & Eustathii sententia, cujus ab initio mentionem feci, cæteris probabilior videtur. Alii non à Borea ipso, sed a Populis Thraciæ, Boreæ nomine, Orithyiam raptam fuisse dixerunt; quam opinionem aliquando sequutus est Ovidius [o], etsi alibi [p] a Borea ipso raptam affirmat. Athenis in Arca Cypseli [q] tabula visebatur, quæ Boream rapientem Orithyiam referebat. Alia persimilis tabella in Museo Florentino [r] habetur; at in ista, Boreas cum speciem Juvenis referat (quemadmodum etiam Athenis depictus est in Turri, quam Ventorum vocant) tum alas non habet. Sed de loco etiam, ubi Orithyia rapta est, apud Scriptores controversia. Alii [s] enim prope Ilissum fluvium raptam dicunt, alii vero prope Cephisum; atque hæc Chærili [t], Poetæ omnium antiquissimi, sententia fuit. At quis credat, meræ huic fabellæ tantum additum pondus auctoritatis ætate nostra, ut inventus [u] sit, qui ea errorem illum suum defenderet; quo somniavit mulieres posse, sola ventorum vi gravidatas, liberos suscipere? Adeo nullum sine patrono deliramentum.

TA-

(a) Vide Herodotum lib. 1. cap. 131. pag. 56., & lib. 7. cap. 178. pag. 443. Londini 1679., Strabonem lib. XV. Geograph. pag. 1064., Joannem Malelam in Chronographia pag. 339., Spanhemium Observation. in Callimachum pag. 344. Vltrajecti 1697., & Muratorium Inscript. t. 1. pag. CXLVIII. n. 4.

(b) Hesiodus in Theogonia ℣. 378. pag. 126.

(c) Lib. VIII. cap. 36. pag. 673.

(d) Variæ Histor. lib. 12. cap. 61. pag. 238. Argentorati 1662.

(e) Videatur Plato in Phædro pag. 422. t. 2. Operum.

(f) Libanius Declamat. XX. pag. 523. Paris. 1606.

(g) Videatur Joannes Fasoldus *Græcorum* Veter. ΙΕΡΟΛΟΓΙΑ Decad. 2. Festivit. IV. pag. 124. Jenæ 1676.

(h) Fasoldus pag. 125.

(i) Argonautic. I. ℣. 521. pag. 4.

(k) Metamorph. VI. ℣. 703.

(l) Vide Vitruvium lib. I. Architectur. cap. 6. pag. 13.

(m) Voyage t. 2. lib. V. pag. 135. Amsterdam 1679.

(n) In Phædro pag. 422. t. 2. Operum.

(o) Epist. XVI. ℣. 343. pag. 229.

(p) Metamorph. VII. 694., Amorum I. Eleg. VI. ℣. 53.

(q) Pausanias lib. 5. cap. 19.. pag. 424.

(r) T. 2. tab. 35. n. 5. p. 83.

(s) Plato in Phædro pag. 422. t. 2., Apollonius I. Argonautic. ℣. 216. pag. 4., Pausanias lib. 1. cap. 19. pag. 45., Dionysius de situ Orbis ℣. 424. pag. 39.

(t) Apud Scholiasten Apollonii lib. 1. ℣. 212.

(u) Auctor libri, qui inscribitur *Lucina sine Concubitu* pag. 11. 12., & 36. Londini 1750.


Tab. XVI.1.
Ann. Carac. Inu.


Cesius del et sculp
Westerhout form.
Cum Privil S.P.

TABULA XVI.

I.

ORPHEUS, ET EURYDICE.



HAud facile dictu est, quot fabellas Poetæ excogitarint, quo Orphei Lyræ concentum suavissimum posteris commendarent. Nam, ut multa prætercam, quæ passim apud illos leguntur; arbores, & lapides carminibus suis ad se pertraxisse [(a)], detinuisse feras [(b)], sustinuisse flumina [(c)], ac postremo vivum ad inferos descendisse, quò defunctam uxorem suam Eurydicem reciperet, commenti sunt. Atque illam quidem ex Inferis evocasse, ea tamen lege, ut conjugem non ante respiceret, quam ad superos rediisset, ferunt. Quam rem cum, propter impotentiam animi, præstare non potuisset, iterum ad inferos revocatam perhibent. Fabellam, quam Plato [(d)], Pausanias [(e)], Lucianus [(f)], Philostratus [(g)], Fulgentius [(h)] aliique [(i)] commemorant, pluribus persequitur Virgilius Georgicorum IV. [(k)], ita de Orpheo canens:

„ Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
„ Et caligantem nigra formidine lucum
„ Ingressus, Manisque adiit, Regemque tremendum,
„ Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
„ At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
„ Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum.
„ . . . .
„ [(l)] Quin ipsæ stupuere domus, atque intima Lethi
„ Tartara, cæruleosque inplexæ crinibus angues
„ Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
„ Atque Ixionei vento rota constitit orbis.
„ Jamque pedem referens casus evaserat omnis,
„ Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
„ Pone sequens; namque hanc dederat Proserpina legem:
„ Cum subita incautum dementia cepit amantem,

„ Igno-

(a) Diodorus lib. 3. Biblioth. pag. 232. edit. Hanoviæ, Ovidius III. de Arte Amandi ℣. 321., Lucianus in Imaginibus pag. 476., Philostratus Iconum VI. pag. 870.

(b) Horatius de Arte Poetica ℣. 393. pag. 907., Propertius lib. 3. Eleg. 2. ℣. 3. pag. 584., Philostratus Iconum VI. pag. 870.

(c) Propertius lib. 3. Eleg. 2. ℣. 4. pag. 584., Philostratus Callistrati Statuæ n. 7. pag. 899.

(d) In Convivio pag. 351. t. 2. Operum.

(e) Lib. 9. cap. 30. pag. 768. & 769.

(f) In Dialogis Mortuorum pag. 117.

(g) Lib. 8. cap. 7. Vit. Apollon. Tyanensis n. 14. pag. 349.

(h) Lib. 3. Mytholog. cap. 10. pag. 731.

(i) Videantur Hyginus fab. 164. pag. 277., Lactantius in VIII. Thebaid. Statii ℣. 59., Albricus de Deor. Imaginibus cap. 18. pag. 925., Tzetzes Chiliad. II. LIV. ℣. 843. pag. 303.

(k) ℣. 467. pag. 295. Vide & Æneid. VI. ℣. 119. pag. 733.

(l) ℣. 481. pag. 296.

„ Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes,
„ Reſtitit, Euridycenque ſuam jam luce ſub ipſa
„ Immemor, heu, victuſque animi reſpexit. Ibi omnis
„ Effuſus labor, atque inmitis rupta tyranni
„ Fœdera, terque fragor ſtagnis auditus Avernis.
„ Illa, Quis & me, inquit, miſeram, & te perdidit Orpheu?
„ Quis tantus furor! en iterum crudelia retro
„ Fata vocant, conditque natantia lumina ſomnus,
„ Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,
„ Invalidaſque tibi tendens, heu non tua, palmas!
„ Dixit. Et ex oculis ſubito, ceu fumus in auras
„ Conmixtus tenuis, fugit diverſa: neque illum
„ Prenſantem nequicquam umbras, & multa volentem
„ Dicere, præterea vidit.

Quem igitur hac in tabula videmus hominem, qui dextero ſub brachio Lyra ſepoſita, ſiniſtram attollit, ac ſortem ſuam dolet, & deteſtatur, is Orpheus noſter eſt, Oeagri & Calliopes Muſæ (a) filius, tum cum conjugem ſtulte cum reſpexiſſet, dolenter amiſit. Nam quæ denſa caligine, & undanti fumo circumdata conſpicitur mulier, Eurydicem illius uxorem eſſe, iterum ad Inferos conpulſam, ex ſupra allatis Virgilianis verſibus, quos Caraccius imitatus deprehenditur, facile intelligimus. Servius (b) de Orpheo loquens affirmat, *quod voluit quibuſdam carminibus reducere animam conjugis, quod quia non potuit, a Poetis fingitur receptam jam conjugem perdidiſſe*. Græci (c) tamen Orpheum reipſa animam conjugis ab Inferis evocaſſe putabant, quos propterea Pauſanias (d), & Lucianus (e) irrident. Ego fabulam inde natam puto, quod Orpheus, mortua uxore, uti Pauſanias (f) narrat, Aornum Threſpotiæ oppidum ſe contulerit, quo in loco cum vetus eſſet per umbrarum evocationem oraculum, Eurydicem evocandam curaverit; quam vidiſſe ratus, ſibique redditam credens, falſum ſe poſtea ſua opinione reſpiciens, mortem ſibi ipſe conſcivit.



TA-

(a) Diodorus lib. 3. Biblioth. pag. 232., Pauſanias lib. 9. cap. 30. pag. 768., Lucianus de Aſtrologia pag. 437.
(b) In 6. Æneid. ℣. 219. pag. 733.
(c) Pauſanias lib. 9. cap. 30. pag. 768. & 769.
(d) Lib. 9. cap. 30. pag. 768.
(e) In Dialog. Mortuor. pag. 117.
(f) Lib. 9. cap. 30. pag. 769.

TABULA XVI.

II.

EUROPÆ RAPTUS.



Ovem illum, Deum atque hominum parentem [(a)]; optimum [(b)], maximum [(c)], potentiſſimum [(d)],

„ [(e)] Cui dextra triſulcis
„ Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem,

quis non rideat, turpia, & inania quædam ita conſectantem, ut amore captus Europæ Agenoris [(f)] Tyri Regis filiæ, tauri faciem induat, & dorſo illam auferat? Hoc Jovis præclarum facinus, ut Poëtæ [(g)], & Mythologi [(h)] ante deſcripſerant, ita exprimit elegantiſſime Caraccius. Ex Poëtis, qui fabellam commemorant, Ovidium, quem præ cæteris Caraccius imitatus eſt, audire præſtat Metamorphoſeon II. [(i)] de Jove ita canentem:

„ Induitur tauri faciem: miſtuſque juvencis
„ Mugit, & in teneris formoſus obambulat herbis.
„ [(k)] Nullæ in fronte minæ; nec formidabile lumen,
„ Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
„ Quod tam formoſus, quod prælia nulla minetur.
„ . . . .
„ . . . . . [(l)] Auſa eſt quoque regia virgo,
„ Neſcia quem premeret, tergo conſidere tauri.
„ Cum Deus a terra, ſiccoque a littore, ſenſim
„ Falſa pedum primis veſtigia ponit in undis.
„ Inde abit ulterius, mediique per æquora ponti
„ Fert prædam. pavet hæc: littuſque ablata relictum
„ Reſpicit: & dextra cornu tenet; altera dorſo
„ Impoſita eſt: tremulæ ſinuantur flamine veſtes.

(a) Videantur Ennius apud Varronem lib. 4. de Lingua Latin. cap. 10., Virgilius Æneid. I. 69., Auguſtinus de Civitate Dei lib. VII. cap. 9.

(b) Cicero lib. 2. de Natura Deor. cap. 25., Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. cap. 10. pag. 65.

(c) Cicero in Orat. pro domo ſua cap. 57., & lib. 3. de Finib. cap. 20., Lactantius pag. 65., Reineſius Claſſ. 1. Inſcript. n. VII. pag. 20., Ouzelius in Minucium Felicem pag. 199.

(d) Virgilius Æneid. I. 64., Valerius Soranus apud Auguſtinum VII. de Civit. Dei cap. 9.

(e) Ovidius Metamorph. II. ℣. 848.

(f) Apollodorus lib. 3. Biblioth. cap. 1, §. 1. pag. 147., Herodotus lib. 1. cap. 2. pag. 2. Francofurti 1608., Hyginus fab. 155. pag. 268.

(g) Homerus in Batrachom. ℣. 78. pag. 485. t. 2., Moſchus Idyll. II. ℣. 7. & ſeq. pag. 605., Anacreon Carmin. de Europa pag. 115. t. 2. Poetar. Lyric. edit. Henrici Stephani anni 1586., Nonnus Dionyſiac. XLI. ℣. 244. pag. 566., Horatius lib. 3. ode XXVII. ℣. 25. & ſequent.

(h) Apollodorus lib. 3. Biblioth. cap. 1. §. 1. pag. 148., Lucianus in Dialog. Marinis pag. 91., Hyginus fab. 178. pag. 295.

(i) ℣. 850. pag. 112.

(k) ℣. 857. pag. 113.

(l) ℣. 868. pag. 113.

Nam & monumenta quædam, ac numiſmata a Viris clariſſimis Begero [a], Bellorio [b], Vaillant [c], Montfauconio [d], Gorio [e], & Bottario [f] edita ſunt, in quibus cum Jovem tauri ſpeciem referentem, ac mare tranſeuntem; tum Europam Jovis dorſo inſidentem, ejuſque cornibus adhæreſcentem videas, non ſecus ac Caraccius illos, hac in tabella, depinxit. Europam autem ſortem deplorantem ſuam, ac quaſi auxilium ſibi quærentem fecit, quod tali vectore æquor tranare timeret; hinc eleganter de Europa Ovidius [g]:

„ Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,
„ Et comites clamare ſuas, tactumque vereri
„ Aſſilientis aquæ; timidaſque reducere plantas.

Palephatus in libro de Incredibilibus [h] talem prodit fabellæ hujus explicationem, atque originem, inquiens: " Europam Phœnicis [i] filiam, cum „ a Tauro vecta fuiſſet, ex Tyro in Cretam mari perveniſſe cenſent. Mi„ hi vero longe ſecius fuiſſe videtur, eo quod neque taurus, aut equus „ tam profundum pelagus transfretare potuiſſe videatur: neque utique „ puellam Europam ſupra taurum tam ferum animal aſcendere voluiſſe... „ Veritas rei hoc habet. Cretenſis vir quidam, cui Taurus nomen erat, „ bellum in Tyrrhena regione gerebat. Hic cum plures alias in eo loco „ puellas rapuiſſet, Europam præcipue regis filiam, poſtremo captivam „ abduxit. Qua ex re dicere homines ſolebant, Europam regis filiam Tau„ rus aſportavit; ob idque fabula hæc conficta fuit. Euſtathius [k], & Tzetzes [l] idipſum tradunt. At Fulgentius [m], & Iſidorus [n] inde natam fabellam dicunt, quod Europa rapta in Tyro, Cretam navi delata fuerit, quæ Tauri picturam habebat.



TA-

(a) Tom. 1. Theſaur. Brandemburg. pag. 195., & t. 3. pag. 591.
(b) Picturæ Antiquæ Sepulchri Naſoniorum tab. 17. pag. 1059. t. 12. Antiq. Roman, Grævii Lugd. Batavor. 1699.
(c) Numiſmata Græca Roman. Imperat. pag. 59. & 135.
(d) t. 1. Antiq. Expliq. part. 1. pag. 52. tab. 19. n. 4. & tab. 20. n. 1. & 2.
(e) Muſei Florentini Gemmæ Antiquæ tab. 56. n. 9. pag. 110., & tab. 57. n. 1. & 2. pag. 120.
(f) Picturæ Antiq. Cryptar. Romanar. tab. 12. Append. Veter. Muſiv. pag. 95. Romæ 1750.
(g) Metamorph. VI. ℣. 103. Vide & Faſtor. V. ℣. 611.
(h) cap. 16. pag. 115. edit. Pariſ. 1578.
(i) Europam, quam alii Agenoris filiam dicunt, Palephatus, & Scholiaſtes Homeri in lib. 12. Iliad. ℣. 397. filiam Phœnicis vocant. Andron Halicarnaſſæus apud Tzetzen ad Lycophron. ℣. 1283. Oceani filiam appellat. Pindarus O. Pyth. IV. 81. Tityi filiam facit. Vide Burmannum in lib. 2. Metamorph. Ovidii ℣. 859.
(k) in Dionyſium Perieget. n. 35. pag. 132.
(l) ad Lycophronem ℣. 1214.
(m) lib. 1. Mythologic. cap. 25. pag. 654.
(n) lib. 8. Origin. cap. 11. Vide etiam Hadrianum Junium lib. V. Animadverſ. cap. 12. pag. 295.

Tab. XVII. 1.




Tab. XVII. 2
C. Cesius del. et. sculp.

TABULA XVII.

I.

LEANDER, ET HERO.



Eander juvenis illustris ex Abydo [a] Asiæ oppido, in littore Hellesponti sito, cum ingenti Herus puellæ amore teneretur, quæ in oppositi littoris oppido Sesto [b] morabatur, nocte ad eam transnare solebat. Quod ubi aliquoties non infeliciter contigisset, jam audacior factus, cum aliquando, propter immodicum videndæ puellæ desiderium, tumido & impacato mari se commisisset, vi ventorum fluctuumque in Hellesponto submersus est. Cujus cadaver Sestum, fluctuum impulsu, delatum, cum vidisset Hero, vim amoris haud ferens, ex altissima turri in mare sese præcipitem egit. Fabellam hanc, aut fortassis historiam [c] elegantissimo carmine, apud Græcos, prosequutus est Musæus [d], a quo Ovidius argumentum Epistolarum Herus ad Leandrum [e], & Leandri ad Hero [f] mutuatus est; Virgilius [g] vero, Lucanus [h], Statius [i], Silius Italicus [k], Martialis [l], & Fulgentius [m] quidquid de Hero & Leandro versibus consignarunt. His autem Caraccius tabellam hanc suam acceptam debet, nisi fortasse vetus quoddam monumentum spectauit, rem hanc referens. Extant enim antiqua quædam numismata, quæ Vaillantius [n] edidit, in quibus Leandrum natantem, Hero autem supra Turrim, ardentem facem tenentem videas, cum hac inscriptione: ΗΡΩ ΛΕΑΝΔΡΟΣ; qua quidem ratione, & in hac tabula, expressi illi videntur. Hinc enim Leander natans conspicitur, quem Amor præcedit; inde vero turris ad cujus summitatem Hero apparet, quæ Leandro natanti facem præfert. Nam quod Harduinus [o], quæ diximus numismata, negat Herus & Leandri historiam referre, nec eam esse illorum inscriptionem putat: ΗΡΩ ΛΕΑΝΔΡΟΣ; sed ita legendum contendit: ΗΡΩΜΕ ΑΝΔΡΟΣ; idest *robur hominis*: ut habeat *proinde hæc inscriptio hunc intellectum: angustum adeo fretum illud esse, quod in nummo pingitur*

(a) Musæus de Hero & Leandro ℣. 21. pag. 698., Pomponius Mela lib. 1. de situ Orbis cap. 19. pag. 21. & lib. 2. cap. 2. p. 30. Hagæ Comitum 1658.

(b) Musæus ℣. 21. pag. 698.

(c) Vide de la Nauze Remarque sur l'Histoire d' Hero & de Leandre t. x. Memoir. de l'Accadem. des Inscript. pag. 385. Amsterdam 1736.

(d) de Hero & Leandro pag. 698. & seq. t. 1. Corp. Veter. Poet. Græcor.

(e) Heroid. Epist. XIX. pag. 266.

(f) Heroid. Epist. 18. pag. 251. Vide & lib. 2. de Arte amandi ℣. 249., lib. II. Amor. Eleg. XVI. 31., & Tristium III. x. 41.

(g) Georgicor. III. 258. pag. 233.

(h) Pharsal. IX. ℣. 955. pag, 682. edit. Burmanni Leidæ 1740.

(i) Thebaid. VI. ℣. 546. pag. 249. Parisiis 1600.

(k) lib. VIII. de Bello Punico ℣. 623. pag. 220. t. 2, Corp. vet. Poetar.

(l) De spectaculis Epigram. XXV, pag. 16., & lib. XIV. Epigramm. 181. pag. 717.

(m) Lib. 3. Mytholog. cap. 4. pag. 710.

(n) Numismata Græca Imperator. pag. 79. 96. & 134. Amstelodami 1700.

(o) Nummi Antiqui Populor. & Urbium pag. 4. Oper. Select.

gitur, & turres ac muros Abydenorum alluit, ut illud a viro, ſed illo quidem robuſto, etiam noctu tranſmeari natando poſſit; Quis id omne commentitum eſſe, ac facile ex ipſis numiſmatibus refelli non intelligat? in quibus omnibus, cum jam non litera M, ſed Λ inſculpta legatur, propterea jam non ΗΡΩΜΕ ΑΝΔΡΟΣ, ſed ΗΡΩ ΛΕΑΝΔΡΟΣ legendum eſt. Cujus quidem rei illud etiam indicium eſt, quod in hac Harduini interpretatione, vix, ac ne vix quidem ulla ratio reddi poſſit, cur his in numiſmatibus, cum amor, eum, qui natat, præcedens, tum puella in turri ſummitate facem tenens, inſculpti habeantur; quæ ſi ad Hero & Leandrum referas, facillimam habent explicationem. Nam quod primo objicit [a], Leandri nomen per E ſcribi, non autem per H, ut in numiſmatibus legitur, quo inde conficiat, Leandri proprium nomen non indicari, leviſſimum ſane eſt. Nil enim frequentius apud ſcriptores, præſertim Græcos, quam unius, aut alterius perſimilis ſyllabæ permutatio in uno eodemque nomine deſignando. Muſæus Leandri nomen modo per E [b], modo per EI [c] ſcribit, pro ut verſuum ratio poſtulare, atque exigere videbatur. Negat [d] deinde, mulieris nomen viri nomini, in numiſmatibus, præferri debuiſſe. Sed hujus rei neceſſitatem quis Monetariis impoſuit? Muſæus diligens, & accuratus ſcriptor Herus nomen, Leandri nomini præfert, ſic enim opus ſuum inſcribit [e]: ΜΟΥΣΑΙΟΥ ΤΑ ΚΑΘ ΗΡΩ ΚΑΙ ΛΕΑΝΔΡΟΝ. Nunquid & Muſæus corrigendus? Nam quod poſtremo in eo perſtat, ut neget [f], Hero & Leandrum obſcurioris nominis homines fuiſſe, quam ut illorum amores in numiſmatibus referendi viderentur; vix reſponſione dignum eſt; quaſi vero id, quod Plinius, [g] aut ſi quis alius, narrat de Hermia puero, a Delphino mari vecto, ac demum undis ſubmerſo, illuſtrius ſit, magiſque dignum, quod numiſmatibus inſcriptum tradatur memoriæ hominum ſempiternæ, (id quod a Jaſſeis factum Harduinus [h] fatetur) ejuſmodi autem non ſit Herus facinus; Herus inquam, quæ nobili [i] genere nata, cum Veneris Sacerdos [k], tum præcipuum Seſtiæ urbis ornamentum, ac decus fuit; quod Muſæus [l] teſtatur.



TA-

(a) Nummi Antiqui pag. 4.
(b) ℣. 5. 15 20. pag. 698. & ℣. 103. pag. 699.
(c) ℣. 28. pag. 698., ℣. 86. pag. 699., ℣. 109. 170. 172. p. 700., ℣. 196. 220. pag. 701. & ℣. 259. pag. 702.
(d) Nummi Antiq. pag. 4.
(e) pag. 698.
(f) Nummi Antiq. pag. 4.
(g) lib. 9. cap. 8. pag. 502. Pariſ. 1723.
(h) Nummi Antiqui pag. 71. Oper. Select.
(i) Muſæus ℣. 30. pag. 698.
(k) Muſæus ℣. 31. pag. 698.
(l) ℣. 22. pag. 698.

TABULA XVII.

II.

PAN, ET SYRINX.



Tabella hæc Pana & Syringa referens, illud ipſum, quod paulo ſuperius diximus [a] de Panis victore Cupidine, planius & apertius demonſtrat. Quis enim Pana ab Amore devictum neget, qui illum pulcherrimam Nympham uſque ad inſaniam amaſſe intelligat? Hæc autem Syringa, ut diximus, fuit; quæ tamen in paluſtres cannas, Terræ [b], aut ſororum [c] auxilio implorato, converti maluit, quam amari a turpiſſimo, & cornuto Deo. Fabellam deſcribit Ovidius Metamorphoſeon I. [d] ita canens:

„ Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
„ Naïas una fuit. Nymphæ Syringa vocabant.
„ Non ſemel & Satyros eluſerat illa ſequentes,
„ Et quoſcumque Deos umbroſave ſilva, feraxve
„ Rus habet. Ortygiam ſtudiis ipſaque colebat
„ Virginitate Deam. Ritu quoque cincta Dianæ
„ Falleret: & credi poſſet Latonia, ſi non
„ Corneus huic arcus, ſi non foret aureus illi.
„ Sic quoque fallebat: redeuntem colle Lyceo
„ Pan videt, pinuque caput præcinctus acuta,
„ Talia verba refert: reſtabat verba referre;
„ Et precibus ſpretis fugiſſe per avia Nympham;
„ Donec arenoſi placitum Ladonis ad amnem
„ Venerit: hic illi curſum impedientibus undis,
„ Ut ſe mutarent, liquidas oraſſe Sorores;
„ Panaque, cum prenſam ſibi jam Syringa putaret,
„ Corpore pro Nymphæ calamos tenuiſſe paluſtres.

Moſcus [e] etiam, Nonnus [f], Servius [g], Lactantius [h] aliique eamdem rem commemorant. Et apud Montfauconium [i] tabella viſitur, quæ Pana conplectentem Syringa habet. In hac tabella Pana videmus inſequentem Syringa, complectentem autem cannas, in quas illa convertitur. Ex his canM nis

(a) Tab. XIV. II. pag. 33.
(b) Servius in Eclog. II. Virgilii ℣. 31. pag. 18.
(c) Lactantius fab. 12. lib. I. pag. 794.
(d) ℣. 690. pag. 55.
(e) In Syringa ℣. I. pag. 616. t. I. Corp. Vet. Poet. Græcorum.
(f) Dionyſiacorum XLII. ℣. 383. pag. 574.
(g) In Eclog. II. Virgil. ℣. 31. pag. 18.
(h) Fab. 12. lib. I. pag. 794.
(i) Antiq. Expliq. t. I. part. 2. pag. 272. tab. 176. n. 4.


nis incisis, tibiam sibi Pana compegisse, eamque Syringa, ad solatium amoris, nuncupasse ferunt. Audiatur Ovidius [a], qui ita narrationem suam prosequitur;


„ Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
„ Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:
„ Arte nova vocisque Deum dulcedine captum,
„ Hoc mihi concilium tecum, dixisse, manebit:
„ Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
„ Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.





TA-

(a) ℣. 707. pag. 56. Amstelodami 1702.


C. Cesius fecit. Romæ.


Arnolde formis. Cum Priuil. S. Pon


C. Cesius fecit.
Arnoldo formis.


Tab. XIX.
Cum Priuil. S. Ponti.

TABULA XVIII. ET XIX.

I. II. III. IV.

ORNATUS TABULARUM.



Abulis hucuſque deſcriptis, atque a nobis explicatis pulcherrima quædam Caraccius adjecit ornamenta, quæ mire inventa, ordinateque diſpoſita excellens idem artificis ingenium declarant. Eminet in illis zophorus elegantiſſime depictus, quem varia quædam animalium capita, puelluli, ſerta, & prægrandes larvæ exornant. Tum Hermæ, & Telamones, ſeu Atlantes plures ſpectantur, qui cum tabellas cingunt, tum ædificii totius abſidem veluti ſuſtinere videntur. In baſi autem horum quaſi intercolumniorum juvenes quoſdam ætate, ac forma florentes videas, diverſo habitu ac figura, quorum alii coronas ſuſtinent, alii geſtus alios manibus agunt, quæ omnia in tabulis XIV. XV. XVI. & XVII., atque iis etiam, in quibus modo verſamur, exſculpta habentur, & quas Caraccius propterea adjecit, ut operis univerſi ſtructuram perfectius compleret, atque elegantius. Et Atlantes quidem, ea qua diximus ratione, expreſſit pictor celeberrimus, quod veteres artifices [a] in ædificiis ad abſides, mutulos, & coronas ſuſtentandas ponere illos conſueverant. Ab his autem & Hermarum figuram accepit Caraccius, nam iis Veteres [b] uſos fuiſſe comperta res eſt. Immo memoriæ proditum habemus, Hermas a Pelaſgis [c] primum inventos, dein a Græcis [d] receptos, demum ad Romanos [e] fuiſſe translatos ad ornatum ædificiorum. Jam vero prope Hermas illos, qui in duabus hiſce tabellis exſculpti habentur, quatuor parvæ viſuntur tabellæ, figuræ ſemicircularis, quarum prior juvenem paſtorem refert, fortaſſe Paridem, qui ſiniſtra pedum tenet, dexteram autem extendit, quaſi Veneri pomum aureum præbiturus [f]. Altera Pana habet ſeſe inclinantem; cum autem prope illum Nympha quædam depicta ſit, hæc aut Syringa [g] eſt, aut Dryopes [h], aut Echo, [i] quarum amore captus fuiſſe dicitur. Quæ tertia eſt, ea militem exhibet capientem puellam. Atque hunc Athenarum regem Theſeum eſſe puto, raptorem Hippolytæ, vel Helenæ. Nam Helenam eum rapuiſſe affirmant Pauſanias [k], Plu-

(a) Vitruvius lib. 6. cap. 10. pag. 119. Amſtelodami 1649.
(b) Videantur Cicero lib. 2. de Legibus n. 65. pag. 170., Cornelius Nepos in Vita Alcibiadis cap. 3. pag. 104., Sponius Diſſ. VI. Rei Antiquar. pag. 429. t. IV. Poleni, Montfauconius lib. 3. cap. 9. n. 1. pag. 133. t. 1. Antiquit. Expliq. part. 1.
(c) Herodotus lib. 2. cap. 50. pag. 110. Francofurti 1608.
(d) Pauſanias lib. 4. pag. 124., Diodorus lib. 13. Biblioth. n. 2. pag. 543., Plutarchus in vita Alcibiadis pag. 365. t. 1., Philoſtratus Vit. Sophiſtar. lib. 1. cap. 21. §. 7. pag. 521.
(e) Cicero lib. 1 Epiſt. 2. ad Atticum, Montfauconius pag. 133. t. 1. Antiq. Expliq.
(f) Vide Lucianum in Dialogis Deor. pag. 75., Ovidium Heroid. XVI. ℣. 87., Hyginum fab. 92. pag. 174.
(g) Vide Tabulam XVII. II. pag. XLV.
(h) Homerus hymn. in Pana ℣. 34. pag. 557. t. 2.
(i) Evodus Epigramm. V. ℣. 4. Antholog. cap. X. pag. 655., Theætetus Epigramm. LXXXV. lib. IV. Anthol. cap. XII. p. 663.
(k) Lib. 3. pag. 88.

Plutarchus [a], Ovidius [b], atque Hyginus [c]; Hippolytam autem tum abſtulit [d], cum ad debellandas Amazonas profectus eſt. Ultimam demum, in qua manus expreſſa eſt vellus apprehendens, ad cujus cuſtodiam draco quidam immanis depictus viſitur, quis Jaſonem Æſonis [e] filium referre non videat, qui Colchos profectus & a Medea edoctus æripedes tauros, & pervigilem draconem domare, vellus aureum abſtulit? Fabellam Apollonius [f], Diodorus [g], Palæphatus [h], Ovidius [i], Propertius [k], Valerius Flaccus [l], Hyginus [m], & Servius [n] enarrant, quos eruditus Lector conſulere poterit.



TA-

(a) In Vita Theſei pag. 20. t. 1.
(b) Heroid. V. ℣. 127., & XVI. ℣. 327.
(c) Fab. 79. pag. 152.
(d) Juſtinus lib. 2. Hiſtor. cap. 4. pag. 43. Lugduni Batav. 1650.
(e) Valerius Flaccus Argonaut. V. ℣. 636. pag. 300. t. 2. Corp. Vet. Poetar., Hyginus fab. 12. pag. 36., Lactantius fab. 1. lib. VII. pag. 834.
(f) Argonaut. II. ℣. 406. pag. 27.
(g) Lib. 4. pag. 245. edit. Hanoviæ.
(h) De Incredibilibus cap. 31. pag. 39.
(i) Metamorph. VII. ℣. 5., & Heroid. VI. ℣. 2.
(k) Lib. 3. Eleg. IX. ℣. 9. & ſequent.
(l) Argonaut. V. ℣. 636. & ſequent. pag. 300.
(m) Fab. 22. pag. 67., & fab. 23. pag. 69.
(n) In Eclog. II. Virgil. ℣. 34. pag. 42., & in II. Georgic. ℣. 140. pag. 175.


Tab. XX.
Ann. Caracci Inv.
C. Cesius del. et Sculp. Romæ Westerhout formis Cum Priuil. S. Pontificis.

TABULA XX.

GANYMEDES A JOVE RAPTUS.



Uæ ſcelera ſuum in Jovem, quem optimum dicebant, non contulerunt Poetæ! Puellularum non modo, ſed puerorum, quod turpe dictu eſt, amatorem fecerunt. Hinc Ganymedem regium puerum Trois [a] filium, ſibi ut nomine eſſet a poculis [b], revera autem ut cupiditatem [c] expleret ſuam, per aquilam [d] rapuiſſe finxerunt, aut, quod alii [e] volunt, ipſe in aquilam converſus ſecum in cœlum abſtulit. Rem & Homerus [f], & Theocritus [g], & Aratus [h], & Apollonius [i], & Eratoſthenes [k], & Conon [l], & Apollodorus [m], & Virgilius [n], & Horatius [o], & Athenæus [p], & Lucianus [q], & Statius [r], & Valerius Flaccus [s], & Dio Chryſoſtomus [t], & Achilles Tatius [u], & Hyginus [x] deſcribunt, ac præſertim Ovidius, qui Metamorphoſeon X. [y] ita canit:

„ Rex ſuperum Phrygii quondam Ganymedis amore
„ Arſit: & inventum eſt aliquid, quod Jupiter eſſe,
„ Quam quod erat, mallet: nulla tamen alite verti
„ Dignatur; niſi quæ poſſit ſua fulmina ferre.
„ Nec mora: percuſſo mendacibus aere pennis
„ Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miſcet
„ Invitaque Jovi nectar Junone miniſtrat.

Aquila igitur, quæ hac in tabula conſpicitur, quæque apprehenſum unguibus puerum per aera tollit, Jupiter ipſe eſt, qui raptum Ganymedem in cœlum defert. Nam cupide ac blande Ganymedem contuetur, & Ganymedes ipſe, ſiniſtra illius collo innixus, quaſi ſortem ſuam præſagiat, alacri & læto vultu aquilæ abblanditur, ita in cœlum deferri geſtiens. Qua in re Caraccius priſcos artifices [z], & Poetas [aa] imitatus videtur. Nam qui recentiores habentur pictores, ii Ganymedem aquilæ inequitantem faciunt,

quos

(a) Homerus Iliad. XX. ℣. 230. pag. 497. t. 1., Diodorus lib. 4. Biblioth. n. 75. pag. 318., Servius in 1. Æneid. ℣. 32. p. 313.
(b) Homerus Iliad. XX. ℣. 234. pag. 497., Pindarus Olymp. Ode 1. ℣. 70. pag. 2., Diodorus lib. 4. Biblioth. n. 75. p. 319., Ovidius Heroid. Epiſt. XVI. ℣. 198., Hyginus lib. 2. Aſtronomic. cap. 29. pag. 481.
(c) Martialis lib. xi. Epigr. 44. ℣. 4., Lucianus Dialog. Junonis & Jovis pag. 57., & in Charidemo pag. 866., Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. n. 23. pag. 149., Auguſtinus lib. 7. de Civitat. Dei cap. 26. pag. 182.
(d) Apollodorus lib. 3. Biblioth. cap. xi. §. 2. pag. 206., Virgilius Æneid. V. ℣. 255., Horatius lib. 4. Ode 2. ℣. 1.
(e) Ovidius Metamorph. X. ℣. 157., Lucianus in Dialog. Deor. pag. 72.
(f) Hymn. In Vener. ℣. 203. pag. 545. t. 2.
(g) Idyll. xv. ℣. 124. pag. 580. t. 1.
(h) In Phænomen. pag. 54. edit. Grotii.
(i) Argonautic. III. ℣. 115. pag. 42. t. 2.
(k) Cataſteriſm. cap. 30. pag. 124. Opuſc. Mythologic. Amſtelodami 1688.
(l) Narrat. 12. pag. 254. Hiſtor. Poetic. Script. Græci.
(m) Lib. 3. Biblioth. cap. xi. §. 2. pag. 206.
(n) Æneid. I. ℣. 32., & Æneid. V. ℣. 252.
(o) Lib. 4. Ode 4. ℣. 1. & ſequent.
(p) Lib. 13. cap. 2. pag. 566.
(q) In Dialogis Deor. pag. 72., in Icaromenippo pag. 570.
(r) Thebaid. I. ℣. 548.
(s) Argonaut. II. ℣. 415.
(t) Orat. 30. pag. 147., & Orat. 33. pag. 199.
(u) De Amoribus Clitophontis & Leucippes lib. 2. pag. 142. edit. Lugd. Batav. 1640.
(x) Fab. 271. pag. 376., & lib. 2. Aſtronomic. cap. 16. p. 458.
(y) ℣. 155. pag. 504.
(z) Vide Plinium lib. 34. cap. 8. p. 671., Montfauconium t. 1. Antiq. Expliq. part. 1. pag. 51. tab. 19.
(aa) Vide Martialem lib. V. Epigr. 56. ℣. 3.

quos propterea imperitiæ merito accuſat Salmaſius [a], quod ea res nullam raptus ſpeciem referat; etſi ipſe etiam in eo reprehendendus videatur, quod Poetas omnes antiquos, ita Ganymedem ab aquila raptum finxiſſe dicat, *ut unguibus ejus inhæreret per crines dependulus*. Qui enim Poetæ hi omnes, cum nihil ea de re apud Homerum, Pindarum, Theocritum, Aratum, Apollonium, Virgilium, Horatium, Ovidium, Martialem, Statium, Flaccum, alioſque plures legatur? Immo vero vetuſta quædam monumenta [b] habeamus, in quibus ea plane ratione Ganymedes haud eſt depictus. In Templo Pacis, omnium quæ Romæ olim erant celeberrimo, eximium Ganymedis ſignum viſebatur, quod ex Juvenali [c] intelligimus. Pauſanias [d] etiam, & Plinius [e] alia ejuſmodi ſigna commemorant; & Plauti tempore extitiſſe ex iis complura in hac eadem urbe, ex Menæchmis [f] ejuſdem accepimus; ubi Menæchmo interroganti: *dic mihi, nunquid vidiſti tabulam pictam in pariete, ubi aquila Catamitum raperet?* reſpondet Peniculus *ſæpe*. Nam Catamitus ipſe idem Ganymedes eſt, quod jampridem viri docti [g] obſervarunt. Jam vero qui fabellam hanc ad hiſtoriæ fidem explicandam ſuſceperunt, eam inde natam putant, quod Ganymedes in Lydiam miſſus, ut Jovis in templo, quod ibi erat, ſacrificia offerret, a Tantalo Paphlagoniæ [h] rege in carcerem detruſus ſit, ubi cum periiſſet, fabulæ locum dederit. Ita Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum [i]. Lactantius [k] de Jove loquens ita rem omnem explicat: *rapuiſſe dicitur in aquila Catamitum. Poeticus color eſt; ſed aut per legionem rapuit, cujus inſigne aquila eſt: aut navis, in qua eſt impoſitus, tutelam habuit in aqui la figuratam*. Mihi Auguſtini [l], & Pauli Oroſii [m] probatur ſententia, qui cum Ganymedem a Tantalo ad voluptatem raptum fatentur, tum Græcos in Jovem id ſceleris contuliſſe dicunt, quo rei turpiſſimæ excuſationem, atque auctoritatem quærerent [n]. Et quidem Tantalum rapuiſſe Ganymedem Herodianus [o], & Euſebius [p] affirmant: laudi autem, non turpitudini in Græcia habitos amores adoleſcentulorum, Cornelius Nepos [q], & Athenæus [r] teſtantur; quorum alter, nempe Athenæus, ita ſcribit " Puerorum amorem „ anteponunt multi fœminarum amoribus. In multis Civitatibus Græciæ, „ quæ recte legibus adminiſtrantur, conſuetudine hoc receptum, & probatum eſt. Cretenſes, & in Euboea Chalcidienſes prodigioſe amore puerorum flagrant ... hi raptum apud ſe Ganymedem a Jove prædicant, ac „ ipſum locum oſtendunt, vocatum Harpagium, egregiis myrtis conſitum.

TA-

(a) In Notis ad lib. 2. Achillis Tatii pag. 583.

(b) Vide Maffei Gemme Figurate part. 2. n. 28. pag. 67., Montfauconium t. 1. Antiquit. Expliq. part. 1. pag 51. tabul. 19. n. 3., Kippingium Antiq. Roman. lib. 1. pag. 95.

(c) Satyra IX. ℣. 22. Conſule notas Silveſtri hunc in locum, pag. 489.

(d) Lib. V. cap. 24. pag. 148. edit. Francofurti 1583.

(e) Lib. 34. cap. 8. pag. 671.

(f) ℣. 153. pag. 166. t. 1. Corp. Veter. Poetar.

(g) Vide Feſtum de Verborum Significatione lib. 3. verbo *Catamitus* pag. 69., Taubmannum Obſervat. pag. 587.

(h) Diodorus lib. 4. Biblioth. n. 74. pag. 318. edit. Amſtelodami 1746.

(i) Pag. 97. Venetiis 1729.

(k) Lib. I. Divinar. Inſtitut. cap. xI. pag. 71. Vide etiam Fulgentium lib. 1. Mytholog. cap. 25. pag. 654.

(l) Lib. 18. de Civitat. Dei cap. 13. pag. 498.

(m) Lib. 1. Hiſtor. cap. 12. pag. 61. edit. Havercampi Lugduni Batavorum 1738.

(n) Vide Platonem lib. 1. de Legibus pag. 705. t. 3. Operum, & Senecam de vita Beata cap. 26. pag. 355.

(o) Lib. I. Hiſtoriæ n. 35. pag. 26. Oxoniæ 1704.

(p) In Chronico ad annum DCLVI. pag. 84.

(q) In Præfat. pag. 4. Venetiis 1743.

(r) Lib. 13. pag. 601. edit. Commelini 1597.

Tab. XXI.

Ann. Caracci. Inv.

C. Cesius del. et Sculp. Romæ. Westerhout formis Cum Privil. S. Pontificis

TABULA XXI.

APOLLO HYACINTHUM IN COELUM REFERENS.



Uam ſabellam hac in tabula expreſſam habemus, Apollinis Hyacinthum in Cœlum referentis, unde hauſerit Caraccius, haud facile dici poteſt; nihil enim ea de re apud Poetas, & Mythologos legiſſe memini; immo vero Ovidius diligens fabellarum ſcriptor id expreſſe negat Metamorphoſeon X. [a], quo in loco ita canit:

„ Te quoque, Amyclide, poſuiſſet in æthere Phœbus;
„ Triſtia ſi ſpatium ponendi fata dediſſent.
„ Qua licet, æternus tamen es; quotieſque repellit
„ Ver hiemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo;
„ Tu toties oreris: viridique in ceſpite flores.

Eſt enim Amyclides Hyacinthus ipſe, quem eo nomine propterea appellat Ovidius, quod Amyclæ [b] filius eſſet, etſi Philoſtratus [c], Lucianus [d], Servius [e], & Hyginus [f] Oebali filium dicant. Pauſanias libro III: [g] apud Amyclæs aram fuiſſe memorat, in qua Venus, Diana, & Minerva ſculptæ erant Hyacinthum in cœlum deferentes: atque eo fortaſſe ſpectare potuit Caraccius, & quod priſci illi artifices Veneri, Dianæ, & Minervæ tribuendum putarunt, ipſe primus conferre in Apollinem, quem Hyacinthum, propter eximiam pulchritudinem [h] ſuam, ardenter amaſſe [i] didicimus. Nam Poetis, atque Pictoribus audendi, & fingendi aliquid liberius data venia eſt [k]. Habet Hyacinthus pulcherrimam comam, qua & in antiquis monumentis [l] ornatus apparet. Manu autem florem ſui nominis tenet, in quem ab Apolline converſus dicitur [m], tum cum eo ludens, Zephyrus invidia flagrans, diſcum ab Apolline emiſſum flatu ſuo in caput Hyacinthi convertit, atque adeo interemit [n]. Amabat enim Hyacinthum Zephyrus [o], atque ægre fe-

re-

(a) ỿ. 162. pag, 505.
(b) Vide Pauſaniam lib. 3. cap. 1. pag. 71. edit. Francofurti 1583. ,Joannem Tzetzem Chiliad I. cap. XI. ỿ. 241. pag. 278., Perizonium in Animadverſion. Hiſtoric. cap. 9. pag. 399.
(c) Iconum cap. XIV. pag. 885.
(d) In Dialogo Mercurii & Apollinis pag. 66.
(e) In XI. Æneid. ỿ. 68. pag 1086.
(f) Fabula 271. pag. 376.
(g) Pag. 88. edit. Francofurti anni 1583.
(h) Pauſanias lib. 3. pag. 71., Lucianus in Charidemo p. 871., Juvenalis Satyra X. ỿ. 110. pag. 135., Lactantius lib. 1. Divin. Inſtitut. cap. 10. pag. 62., Servius in IX. Æneid. ỿ. 435. pag. 977., Tzetzes Chiliad. I. cap. XI. ỿ. 259. pag. 278.
(i) Nonnus Dionyſiac. III. ỿ. 155. pag. 328., Palephatus de Incredibilibus cap. 47. pag. 57., Lucianus in Charidemo p. 867.
(k) Horatius in Arte Poetica ỿ. 9. pag. 818.
(l) Vide Muſeum Florentinum t. 1. pag. 71. tab. 32. n. 3., & Muſeum Odeſcalchum tom. 1. pag. 9. tab. V.
(m) Coluthus de Raptu Helenæ ỿ. 240. pag. 685., Palephatus de Incredibilibus cap. 47. pag. 57., Ovidius Metamorph. X. ỿ. 210. & ſequent., Lucianus in Dialog. Mercurii & Apollinis pag. 66., Servius in Eclog. III. Virgil. ỿ. 63. pag. 32.
(n) Euripides in Helena ỿ. 1485. pag. 522., Nonnus Dionyſiac. XXIX. ỿ. 95. & ſeq. pag. 487., Ovidius Metamorph. X. ỿ. 185. & ſequent., Martialis lib. XIV. Epigr. 164. pag. 455.
(o) Nonnus Dionyſiac. III. ỿ. 154. pag. 328., Palephatus de Incredibilibus cap. 47. pag. 57., Lucianus Dialog. Apollinis & Mercurii pag. 66.

rebat, quod in Apollinis amorem propenſior eſſet. Apollo & ipſe Juvenis, nam [a]

„ Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa,

Siniſtra Hyacinthum in cœlum tollit, dextera autem Lyram tenet. Eſt enim Lyra illius inſigne [b], atque ea utitur, cum mitis & blandus haberi vult [c]. Apud Lacedæmones Hyacinthi dies feſtus celeberrimus erat. Illius faciunt mentionem Thucidides [d], Herodotus [e], Xenophon [f], Macrobius [g], & alii [h], quos inter Athenæus [i] ritus, luctus, & ſacrificia, quæ ab iis eo die fiebant, accurate deſcribit. Hic autem dies feſtus ab Amyclæis primo inſtitutus fuiſſe videtur, ut parentes conſolarentur de morte Hyacinthi, qui periiſſe fertur [k], cum ſeſe diſci jactu cum aliis adoleſcentulis exerceret; nam & eam ob rem totam Apollinis & Hyacinthi fabellam confictam, Banierus [l] arbitratur.



TA-

(a) Tibullus lib. 1. Eleg. IV. ℣. 33. pag. 827. Vide etiam Callimachum hymn. in Apollinem ℣. 36. pag. 37. Ultrajecti 1667., Lucianum Jupiter Tragœdus pag. 545., de Dea Syria p. 822., Plutarchum de Di. Templi Delphici pag. 688. t. 1. Opuſculor. Baſileæ 1572.

(b) Videantur Pauſanias lib. 3. cap. 24. pag. 271., Plutarchus de Pythiæ Oraculis pag. 345. t. 1. Opuſcul., Albricus de Deorum Imaginibus cap. 4. pag. 901., Begerus t. 1. Theſauri Brandemburg pag. 5[illegible]. & 58., Muſeum Odeſcalchum t. 2. pag. 1. tabula 1., & pag. 4. tab. 2.

(c) Servius in III. Æneid. ℣. 138. pag. 513.

(d) Lib. V. Hiſtor. n. 23. pag. 332. Amſtelodami 1731.

(e) Lib. 9. Hiſtor. cap. 6. pag. 514., & cap. XI. pag. 516. Francofurti 1608.

(f) In Oratione de Ageſilao Rege cap. 2. n. 17. pag. 24. Oxonii 1703.

(g) Lib. 1. Saturnal. cap. 18. pag. 263.

(h) Philoſtratus de Vita Apollonii lib. VI. cap. 20. pag. 258. Operum, Meurſius Miſcellanea Laconica lib. 2. cap. 14. pag. 293. t. V. Antiquit. Græcar.


(i) Lib. 4. pag. 139. edit. Commelini 1597.

(k) Vide Banier. t. 4. Mytholog. lib. 1. cap. 15. pag. 176.

(l) T. IV. Mytholog. lid. cap. 15. pag. 176.


Tab. XXII

Tab XXIII




Tab. XXIV.

Tab. XXV.



TABULA XXII. XXIII. XXIV. ET XXV.

COELESTIS, TERRENI, AC MUTUI AMORIS IMAGINES.



Mores duos terrenum unum, cœleſtem alterum finxerunt Veteres [(a)]; ac primum Erotem [(b)], alterum vero, quod terreno adverſaretur, Antherotem [(c)], ſeu Lethæum [(d)] vocarunt, quem honeſtas cupiditates animis hominum ingenerare dixerunt; Erotem ad turpes voluptates eoſdem projicere fabulantes. Utriuſque Amoris ingenium atque indolem ita Quintilianus deſcribit Declamatione XV. [(e)] " Amoris (nempe celeſtis) ſi ſapientiæ ſequamur auctores, antiquiſſimum numen, & „ cui ſe naturæ debet æternitas. Sed ille mitis, & ſerius honeſtis cupiditatibus, & viribus ſacræ charitatis exſultans, ut qui cuncta priſcæ noctis „ operta caligine diduxerit primum, deinde miſcuerit. Hic vero (nimirum terrenus), quo perditis viſceribus adhæremus inquieti, laſcivientis adhuc ætatis inſtinctu tumultuoſus, ac petulans, telis funereis, faciſque armatus. Præſtat igitur ille mortalibus liberos hac uſitata conjugii pietate: hic inceſta, libidines, adulteria, meretrices.„ Alii [(f)] tamen duplicem amorem ideo effictum narrant, quod nullius plane voluptatis, aut commodi poſſit eſſe amor niſi mutuus ſit. Hinc Erotem amorem illum eſſe volunt, qui nos ad amandum excitat, Anterotem vero eum dicunt quo amatores noſtros redamamus; quam rem eleganti apologo complexus eſt Themiſtius ea in Oratione [(g)], qua Nicomedienſes ad Philoſophiæ ſtudia hortatur; in ea enim ſic loquitur. " Cum Amorem peperiſſet „ Venus, cætera quidem formoſus, & parente ſua dignus videbatur; hoc „ unum deerat, quod in juſtam ac pulchritudini congruentem ſtaturam „ non excreſceret, neque augeſceret corpus, ſed diu qualis editus fuerat „ per-

(a) Videantur Plato in Sympoſio pag.353. t. 2., Plutarchus in Erotico pag.315. t. 2., Ovidius Faſtor. IV. ℣. 1., Lucianus Amor. pag. 464.,& in Encomio Demoſthenis pag. 829., Plotinus Ennead. III. lib. V. cap. 2. pag. 293. Baſileæ 1580., Philoſtratus Icon. I. cap. 6. pag.770., Seneca in Hippolyto ℣.274., Silius Italicus lib. VII.de Bello Punic. ℣. 449., Alciatus Emblem CIX., & CX. pag. 380. & 384. Lugduni 1614., Minois Commentar. in Alciat. pag. 381., Cuperus lib. 2. Obſervat. cap. I. pag. 151.

(b) Plato in Phædro pag.435. t. 2., Pauſanias lib. 1. cap. 30. pag. 75., & lib. 6. cap. 23. pag. 512., Servius in IV. Æneid. ℣. 194. pag. 598.

(c) Pauſanias lib. 6. pag. 171. edit. Francofurti 1583., Marianus Scholaſticus lib. IV. Antholog. cap.12. Epigr.50. pag.660., Anytes lib.IV. Antholog. cap. 12. Epigr. 109. pag. 665., Servius in IV. Æneid. ℣. 500. pag. 633., Alciatus Embl. 109. & 110. pag. 380. & 384., Minois in Alciatum pag. 381.

(d) Ovidius de Remed. Amoris ℣.549., Calcagninus de Amore mutuo pag. 438. Oper. Baſileæ 1544.

(e) Cap. x. pag. 317. t. 1. Lugduni Batav. 1720.

(f) Svidas in Lexico Verbo αντέρως pag.220. t. 1. Cantabrigiæ 1705., Calcagninus de Concordia pag. 410., & de Amore mutuo pag. 436., Gyraldus de Deis Gentium Syntag.13. pag. 564., Begerus t. 1. pag. 36., Montfauconius t. 1. Antiq.Expliq. lib. 3. cap. 26. pag. 194., Ebermayer Capita Deor. in Gemmis tab. 15. n. 394. pag. 181.

(g) Eſt n. VII. pag. 176. Pariſiis 1618.

„ permaneret. In hac tanta novitate rei cum & mater, & nutrices infantis Gratiæ, quid agerent, neſcirent, Themidem adeuntes . . . orabant „ exitum ut aliquem puero tam inauditæ, tamque inuſitatæ calamitatis „ oſtenderet. At illa, ego, inquit, vos ea anxietate liberabo; nondum enim „ naturam noſtis infantis. Tuus ille, Venus, Amor germanus ac ſincerus „ utcumque naſci ſolus poteſt, creſcere ſolus non poteſt: ſed Anterote tibi opus eſt, ſi Erotem cupis creſcere. Natura autem hæc amborum fratrum erit; mutuo alter alteri incrementi cauſa erit, cum enim ſeſe invicem aſpexerint, æqualiter adoleſcent, ſin alteruter deerit, ambo minuentur. Sic Anterotem Venus parturit, ſtatimque gliſcere Eros cœpit, & „ pennas producere, ac fieri grandior. Itaque tamquam ei ſorti ac conditioni obnoxius mirabiles ſæpe uſus varietateſque ſuſtinet, modo vigens „ creſcenſque, alias marceſcens, rurſum incrementum capiens: ſed fratris „ perpetuo ſocietatem deſiderat: quem cum magnum animadverterit, major eſſe contendit: eumdem ubi parvum, ac contrarium deprehenderit, „ ſæpe numero ipſe marcet, minuiturque vel invitus. „ Has itaque veterum Scriptorum ſententias Caraccius hiſce in tabellis, in quibus cœleſtem, terrenum, ac mutuum Amorem, depinxit ſpectaſſe videtur. Nam qui priori in tabella viſuntur Cupidines, ii palmæ ramum manibus complectuntur, quaſi ambo de victoria contendant. Ea enim mutui amoris eſt natura, ut qui ſe mutuo diligunt, alter alterum amando quodammodo ſuperare contendat. Quæ res ramo palmæ aptiſſime ſubindicatur, quod palma victoriæ ſymbolum ſit, atque inſigne. Hinc Libanius (a): *palma*, inquit, *omnis certaminis eſt corona, & victoriæ monimentum*: & Plutarchus (b) *palmam ſignum eſſe placuit victoriæ*. Quamobrem Elei etiam, teſte Pauſania (c), ad eam ipſam rem, ut puto, exprimendam Erotem atque Anterotem pinxerunt de palmæ ramo invicem contendentes; quos alii poſtea imitati ſunt, ut ex quibuſdam antiquis monumentis intelligimus, quæ a Begero (d), & Montfauconio (e) edita habemus. Tabella altera cœleſtem Amorem ac terrenum luctantes refert; quod ex eo deprehendimus, quod cœleſtis Amor terreno eripere facem conetur, quam ille propterea ad tergum rejicit, ne ſuis ſemel ſpoliatus armis, victoris legem ſubire teneatur. Nam ſunt faces Cupidinis arma (f); in quam ſententiam Tibullus (g) ita Amorem compellat:

„ Sancte veni dapibus feſtis; ſed pone ſagittas,
„ Et procul ardentes hinc procul abde faces.

Hæc ipſa Amorum lucta in tertia quoque exhibetur tabella: ſed in illa cœleſtis Cupido terrenum crinibus trahit. Supra illos autem laurea corona depicta viſitur ſplendorem emittens, in præmium, ut puto, victori tribuen-

(a) In Elogio Palmæ pag. 716. t. 2. Oper. edit. Morellii Pariſ. 1627.
(b) Apud Aulum Gellium lib. 3. Noct. Atticar. cap. 6. p. 120.
(c) Lib. 6. cap. 23. pag. 512.
(d) T. 1. Theſaur. Brandemburg. pag. 35.
(e) T. 1. Antiq. Expliq. p. 1. pag. 194. tab. 122. n. 1.
(f) Videantur Ovidius lib. 3. Eleg. IX. ℣. 8., Seneca in Hippolyto ℣. 187., Begerus t. 1. pag. 184. 188., & t. 2. p. 201. Montfauconius t. 1. p. 1. pag. 180. tab. 113. n. 6., & tab. 114. n. 4. & 5., Muſeum Odeſchalchum t. 2. pag. 17. tab. VIII.
(g) Lib. 2. Eleg. 1. ℣. 81. pag. 833.

buenda. Cui enim ignotum coronam & ſymbolum, & præmium eſſe victoriæ [a]? Edidit Ebermayerus [b] gemmam quamdam, quæ Erotem atque Anterotem luctantes exibet. Alciatus [c] etiam de Anterote Cupidinem ſuperante elegantiſſimum habet Emblema, ſumptum ex Epigrammate Anyes, quod in Anthologia [d] legitur. Videas jam demum quarta in tabella Cupidines noſtros ſeſe complectentes, ac mutuam amicitiam & ſocietatem ineuntes. Qua imagine, ſi Bellorium [e] audiendum putamus, id ſibi voluit Caraccius, nempe effrænes, quæ nobis dominantur cupiditates, per terrenum Cupidinem adumbratas, poſſe facile cum coeleſti Cupidine, ideſt ratione conjungi, atque ab ea frænari, ſi nimirum virtutem, in quam omnes animatos eſſe oportet, ſequendam nobis proponamus. Nam Cupidines propterea alatos fecit pictor celeberrimus, quod ita quidem depingi illi ſoleant. Poſtquam enim Bupali pater omnium primus [f] Amorem pinxit alatum, cæteri qui eum ſequti ſunt Pictores [g], atque Poetæ [h], ad ſignificandam, aut eorum levitatem [i], qui amore capiuntur; aut amoris ipſius naturam [k], qui impetu quodam in animos hominum involat, alas & ipſi Amori tribuendas putarunt; etſi non defuerint, qui eam Cupidinis depingendi rationem improbandam ſuſceperint [l]. Quam in rem ita Eubulus Poëta apud Athenæum [m] ſcribit:

„ Quis mortalium primus quæſo pinxit,
„ Aut cera finxit alatum Amorem?
„ Nihil præter teſtudines ille pingere didicerat.
„ Qui & ingenium prorſus ignorabat hujus Dei.
„ Levis enim minime eſt, aut ita facilis
„ Ut qui ejus telis male habet, eo morbo ſtatim liberetur.
„ Immo gravis ſupra modum: quorſum ergo illi pennæ?
„ Ea res plane nugæ, tametſi quiſpiam ita eſſe autumet.

Jam vero quibus cęleſtis, & terrenus Cupido orti ſint parentibus, non parva eſt inter Scriptores dubitatio. Plato in Sympoſio [n] etſi Phædrum ita loquentem inducat, ut nullos cęleſti Cupidini parentes fuiſſe dicat, alibi [o] tamen terrenum Cupidinem Penia paupertatis Dea, & Poro, qui conſilii Deus habetur, natum affirmat. Ibicus [p], & Heſiodus [q] e Chao & Terra edu-

(a) Vide Paſcalium de Coronis lib. 1. cap. 1. p. 1., & cap. 4. p. 11., & Nicolaum Cragium de Republica Lacedæmon. lib. 3. tab. 6. Inſtit. VII. pag. 2626. t. V. Antiquit. Græcar.
(b) Capita Deorum in Gemmis tab. 15. n. 394. pag. 181.
(c) Emblemat. cx. pag. 384.
(d) Lib. IV. cap. 12. Epigramm. 109. pag. 665.
(e) Spiegazione della Galleria Farneſe pag. 438, Felſina Pittrice.
(f) Vide Scholiaſtem Ariſtophanis in Avibus pag. 391. Baſileæ 1547.
(g) Videantur Pauſanias lib. VII. cap. 26. pag. 592., Philoſtratus lib. 1. Iconum cap. 6. pag. 770., Albricus de Deor. Imaginibus cap. 5. pag. 904., Begerus t. 1. pag. 34. 35. 170. 176. 180. 182. 183. 184. 185. 186. 195. 200., Montfauconius t. I. part. 1. pag. 180. tab. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117.
(h) Euripides in Hippolyto ℣. 1271. pag. 300. t. 1., Orpheus hymn. in Amorem ℣. 2. pag. 515., Lucretius lib. V. ℣. 1074. pag. 540., Virgilius Æneid. I. ℣. 667., Ovidius lib. III. Amor. Eleg. IX. ℣. 9., Propertius lib. 2. Eleg. 9. ℣. 5., Silius Italicus VII. de Bello Punico ℣. 459., Claudianus de Nuptiis Honorii & Mariæ ℣. 83. & 98.
(i) Heliodorus lib. IV. Æthiopicor. cap. X. pag. 166. Lugduni 1611., Alexander Aphrodiſienſis in Problematibus ſect. 4. pag. 16. Venetiis 1501., Auguſtinus lib. XX. contra Fauſtum cap. 9., Servius in I. Æneid. ℣. 667. pag. 401.
(k) Phurnutus de Natura Deorum pag. 66.
(l) Vide Begerum t. 1. pag. 174. & 175., Buonarroti Medaglioni pag. 234., Ebermayer Capita Deor. in Gemmis p. 181.
(m) Lib. 12. cap. 2. pag. 562.
(n) Pag. 351. t. 2. Operum.
(o) In Sympoſio pag. 386.
(p) Apud Scholiaſtem Apollonii lib. 3. n. 2. pag. 202. Francofurti 1546.
(q) In Theogonia ℣. 120. pag. 466. t. 1. Vide Pauſaniam lib. 9. cap. 27. pag. 762.

eductum putant. Ariſtophanes [a] Noctis & Erebi filium dicit. Lycius Olen [b] e Lucina. Euripides [c] e Jove & Venere; alii [d] e Venere & Vulcano; Simonides [e] e Marte & Venere; Sappho [f] e Cœlo & Terra; nonnulli [g] e Mercurio & Venere ortum fabulantur. Philoſtratus [h], & Claudianus [i] ambos Cupidines e Nymphis procreatos dicunt. Cicero [k] autem quum tres faciat Cupidines, primum Mercurio & Diana prima natum dicit, ſecundum Mercurio & Venere ſecunda, tertium Marte & Venere tertia. Demum alii [l] terrenum Cupidinem vulgari Venere, Cœleſtem cœleſti Venere natum contendunt. Nam ſicut duos fingunt Cupidines, ita Veneres inducunt duas [m] cœleſtem unam, terrenam alteram, quam etiam mutui Amoris matrem [n] eſſè volunt.



TA-

(a) In Avibus ℣. 387. pag. 906.
(b) Apud Pauſaniam lib. 9. cap. 27. pag. 762.
(c) In Hippolyto ℣. 534. & 539. pag. 288. t. 1.
(d) Vide Servium in I. Æneid. ℣. 668. pag. 401.
(e) Apud Scholiaſtem Apollonii Rhodii lib. 3. n. 2. pag. 202.
(f) Apud Scholiaſt. Apollon. lib. 3. n. 2. pag. 202.
(g) Stephanus in Lyricor. Fragmentis pag. 278.
(h) Lib. 1. Iconum cap. 6. pag. 770.
(i) De Nupt. Honorii & Mariæ ℣. 74. pag. 594. t. 2.
(k) Lib. 3. de Natura Deor. cap. 24.
(l) Videantur Orpheus hymn. in Venerem ℣. 7. pag. 514., Moſchus Idyll. 1. ℣. 1. pag. 605., Nonnus Dionyſiac. XLI. ℣. 128. pag. 564., Pauſanias lib. 9. cap. 27. pag. 761., Ovidius Faſtor. IV. ℣. 1., Lucianus in Dial. Apollinis & Bacchi pag. 77., Silius Italicus lib. VII. de Bello Punico ℣. 449., Albricus de Deor. Imaginibus cap. 5. pag. 904., & Cuperus lib. 2. Obſervat. cap. 1. pag. 153.
(m) Vide Apulejum in Apologet. pag. 96. t. 2. Lugduni 1614., Lucianum in Dialog. Meretric. pag. 752., & Natalem Comitem lib. V. Mytholog. cap. 13. pag. 119, 121.
(n) Vide Themiſtium Orat. VII. pag. 176., & Joannem Baptiſtam de Cavalleriis lib. 1. Antiq. Statuar. Urbis tab. 51. Romæ 1585.


Tab XXVI 1


Tab XXVI 2
Westerhout formis Cũ Priuil. S. Pont

TABULA XXVI.

I. I I.

ARION DELPHINO VECTUS PER ÆQUORA, ET MERCURIUS LYRAM TRADENS APOLLINI.



Uas hac in tabula depictas ſabulas habemus duas, altera Arionem Methymnæum (a), citharœdum (b) percelebrem ſpectat, qui Periandro Corinthiorum tyranno floruit (c): Altera vero Mercurium atque Apollinem refert. Et Arion quidem cum Delphino vectus per æquora, tum citharam manu tenens, ac nautas reſpiciens expreſſus eſt, quod a Delphino exceptus, & ad Tænarum Laconiæ (d) promontorium pervectus dicatur, tum cum ex Italia, ubi ingentem pecuniæ vim comparaverat, Corinthum trajiciens, in mare projecit ſeſe, quo a nautis ſaluti ſuæ proſpiceret, qui divitiis ejus inhiantes, illum occidere ſtatuerant; uti Herodotus (e), Oppianus (f), Strabo (g), Propertius (h), Ovidius (i), aliique (k), narrant; quos inter alii (l) veræ hiſtoriæ indiciis haud eſſe narrationem illam deſtitutam arbitrantur; alii (m) vero plane commentitiam contendunt, & fortaſſe ab Arione ipſo confictam, quo ſibi nomen, & lucellum aliquod quæreret. At Mercurius talaribus, petaſo, & caduceo inſignis, quæ illius ſunt ornamenta (n), Lyram Apollini tradit. Deprehenſus enim, quod boves ſurripuiſſet (o), quos Apollo paſcebat (p), & gravi eam ob rem contentione inter ipſos exorta (q); Lyram, quo illum ſibi placaret, ei donavit (r); immo, quoniam Apollo Lyræ auctor haberi volebat, id etiam illi conceſſit (s); etſi in Cyllene (t) Arcadiæ monte Lyram primus ipſe inve-

niſſet

(a) Herodotus lib. 1. Hiſtor. cap. 23. pag. 23., Strabo lib. 13. pag. 919.
(b) Herodotus pag. 23., Dio Chryſtomus Orat. 37. pag. 455.
(c) Herodotus pag. 23., Dio Chryſoſtomus pag. 455.
(d) Plinius lib. 4. cap. 5. pag. 59., Servius Eclog. 8. ℣. 55. pag. 80.
(e) Lib. I. Hiſtor. cap. 23. pag. 23.
(f) De Piſcatione lib. v. ℣. 448. pag. 169.
(g) Lib. 13. Geograph. pag. 919.
(h) Lib. 2. Eleg. 18. ℣. 17. pag. 452.
(i) Faſtor. 11. ℣. 93. & ſequent.
(k) Cicero Tuſculan. II. num. 67. pag. 337., Ælianus de Natura Animal. lib. 6. cap. 15. pag. 322., & lib. 12. cap. 45. p. 714., Plinius lib. 9. cap. 8. p. 168., Solinus Polyhiſtor. cap. 12. p. 89., Pauſanias lib. 3. pag. 95., & lib. 9. pag. 257., Lucianus Dialog. Neptuni & Delphini pag. 86., Dio Chryſoſtomus Orat. 37. pag. 455., Aulus Gellius Noct. Atticar. XVI. cap. 19. p. 441., Libanius Narrat. cap. 27. pag. 70., Philoſtratus Iconum I. cap. 19. pag. 794., Hyginus fab. 194. pag. 322., & Aſtronomic. II. cap. 17. p. 461., Euſebius in Chronic. ad ann. 1398. pag. 123.
(l) Solinus Polyhiſt. cap. 12. pag. 89., Ælianus Natur. Animal. lib. 12. cap. 45. pag. 714., Scaliger Animadverſ. ad Euſebium pag. 79., Meurſius de Archontib. Athenienſ. lib. 1. cap. 10. pag. 1169. tom. IV. Antiquit. Græcar.
(m) Ovidius Faſtor. II. ℣. 113., Strabo lib. 13. pag. 919., Salmaſius in Exercitat. Plinian. parte I. pag. 138., Banier Explicat. Hiſtoriq. des Fables tom. 3. pag. 488. Paris 1725.
(n) Videantur Macrobius Saturnal. I. cap. 19. pag. 268., Iſidorus Origin. VIII. cap. 2., Servius Æneid. VIII. 138., Fulgentius lib. I. Mytholog. cap. 19. 20. 21. pag. 648. 649., Albricus de Deor. Imaginibus cap. 6. pag. 905.
(o) Homerus hymn. in Mercur. ℣. 245. 340. 400. pag. 525. 527. & 531.
(p) Homerus hymn. in Mercur. ℣. 101. & ſequent. pag. 519., Euripides in Alceſte ℣. 8. pag. 304., Spanhemius Obſervat. in Callimach. pag. 76.
(q) Homerus hymn. in Mercurium ℣. 300. pag. 527.
(r) Homerus hymn. in Mercur. ℣. 493. & 506. pag. 533. & 535., Philoſtratus lib. 1. Iconum cap. 10. pag. 777., Hyginus Aſtronomic. II. cap. 7. pag. 439.
(ſ) Hyginus Aſtronomic. 11. cap. 7. pag. 439.
(t) Hyginus Aſtronomic. II. cap. 7. pag. 439.

niſſet [a]. Itaquè Apollinem hic videas ad arboris umbram ſedentem, ac veſte circumvoluta ad fæmora, dextrumque ſuper brachium conjecto baculo, quod paſtoris eſt indicium, accipientem a Mercurio Lyram. Quam quidem Lyram etſi Homerus [b], Callimachus [c], Alexander Epheſius [d], & Hyginus [e] chordulas ſeptem habuiſſe narrent; Caraccius tamen illam quinque habentem nervulos fecit, quod ſic etiam in antiquis monumentis [f] Lyras depictas habeamus, nec de Lyræ nervulorum numero Veteres ſecus ipſis plane conſentiant [g]. Nam Templum, quod viſitur, ornatus cauſſà, Caraccium pinxiſſe puto; niſi fortaſſe propterea dipinxit, quod Apollini omnium primo Templa dicata [h] videantur.



TA-

(a) Homerus hymn. in Mercur. ℣. 25. pag.515., Diodorus lib. 1. num. 16. pag. 20., & lib. V. num. 75. pag. 391., Pauſanias lib. 8. cap. 17. pag. 634., & cap. 23. pag. 644., Horatius lib. 1. Carmin. Ode X. ℣.6. pag. 31., Servis Æneid.VIII. 138., Lucianus Dialog. Apollinis & Vulcani pag. 60.
(b) Hymn. in Mercur. ℣. 51. pag. 517.
(c) Hymn. in Delum ℣. 253. pag. 127.
(d) Apud Heraclidem Allegoriar. Homeri pag. 426.
(e) Aſtronomic. II. cap. 7. pag. 439.
(f) Vide Begerum tom. 1. Theſaur. Brandemburg. pag.143.170. 190. 265.
(g) Videantur Germanici Aratea Phænomen. pag. 45. edit Grotii, Hyginus lib. 3. Aſtronomic. cap. 6, pag. 505., Scaliger in notis ad Manilium lib. V. pag. 423. Antuerpiæ 1600., Voſſius de metro & viribus Rythmi pag. 97., Pignorius de Servis pag. 80., Begerus tom. 1. Theſaur. Brandemburg. p. 56., & Spicileg. Antiquitat. pag. 93., Bellorius Obſervat. ad Lucernas Veter. part. 2. fig. 14. pag.55. tom.12. Antiquitat. Græcar., Spanhemius Obſervat. ad Callimach. pag. 466., & pag. 476., Maffei Gemme Figurate tom. 2. tav. 45. 46. 47. 48., Olearius in Notis ad Philoſtrat. Icon.1. cap.10. pag.777., Muſeum Odeſcalchum tom.2. tab. I. pag. 1., & tab. 2. p. 4.
(h) Vide Pauſaniam lib. 2. cap. 31. pag. 185.


Tab. XXVII. 1.


Tab XXVII. 2.
del et sculp

TABULA XXVII.

I. II.

DÆDALI ATQUE ICARI VOLATUS, ET HERCULIS CERTAMEN CUM DRACONE CUSTODE HESPERIDUM.



DÆdalum Athenienſem (a), artificem omnium ætatis ſuæ ingenioſiſſimum (b), e Creta in Siciliam (c), una cum Icaro filio evolaſſe, quo ſibi a Minoë rege conſuleret, propterea quod Paſiphaës uxoris ejus nefariis (d) ſerviſſet amoribus: Icarum autem juſto altius volantem in mare decidiſſe, quod ab eo nomen accepit (e), Virgilius (f), Horatius (g), Ovidius (h), Seneca (i), Lucianus (k), Silius (l), Hyginus (m), atque alii (n) referunt. Quos peregregie imitatus Caraccius, hinc Icarum ex alto cadentem, inde ſenem Dædalum volantem, ac contuentem filium, tum nautas quoſdam, alios ex littore rem totam aſpicientes, alios autem navicula vectos, & rei novitate attonitos fecit. Sed Dædalus præ cæteris admiratione dignus, quem eleganter adeo expreſſit Caraccius, ut illum de filii infortunio dolentem, ac ei ſubvenire enitentem dicas. Nam quæ antiqua ſuperſunt monumenta, in quibus cum Icarus volans (o), tum Dædalus conficiens alas (p) viſuntur, hanc ipſam, ut puto, fabellam ſpectant; niſi fortaſſe ſummam Dædali peritiam in effigendis ſtatuis arguunt. Nam Dædalum primum (q) omnium ſtatuis induxiſſe oculos, diſtinxiſſe pedes, & viventibus quam ſimillimas effeciſſe, accepimus. Quæ res, ut ego quidem arbitror hujus confingendæ fabellæ origo, atque occaſio fuit; etſi Diodorus (r), Pauſanias (s), & Palephatus (t) propterea confictam putent, quod Dædalus velis navium, & antennis inventis, e Creta in Siciliam, iram veritus Minois, fugerit, quo cum incolumis perveniſſet, Icari autem navis propter imperitiam gubernatoris fuiſſet demerſa: Poetæ illum evolaſſe, Icarum vero, alis diſſolutis, in mare decidiſſe finxerint. Jam vero quæ ſequitur tabella Herculem refert cum Dracone cuſtode Heſperidum certantem. Veteres enim, quos inter Heſiodus (u), Apollonius (x), Euripides (y), Palephatus (z), Eratoſthenes (aa), Diodorus (bb), Virgilius (cc), Ovidius (dd), aliique

---

[a] Diodor. lib.IV. n. 76. p.319., Lucianus de Aſtrolog. p.438.
[b] Ovidius Metamorph. VIII. ℣. 159., Dio Chryſoſtomus Orat.37. pag. 228., Themiſtius Orat. 26. pag. 316.
[c] Ovidius Metamorph. VIII. ℣. 260., Pauſanias lib. VII. cap. 4. pag. 531., Hyginus fab. 40. pag. 104.
[d] Videantur Virgilius Eclog. 6. ℣. 45., Propertius lib. 2. Eleg. 22. ℣. 113., Ovidius Metamorph. 8. ℣. 135., Apulejus Metamorph. X. pag. 930., Lucianus de Aſtrolog. p. 438., Hyginus fab.40. p.102., Heraclitus de Incredibilib. c. 6.p.5.
[e] Ovidius Metamorph. VIII. ℣. 230., Pauſanias lib. 9. cap. XI. pag. 732., Lucianus Icaromenipp. pag. 571., Dio Chryſoſtomus Orat. 4. pag. 39.
[f] Æneid. VI. ℣. 14. pag. 721.
[g] Lib. IV. Carm. Ode 2. ℣. 2. & ſeq. pag. 240.
[h] Metamorph. 8. ℣. 212., & 11. de Art. Amandi ℣.75.
[i] Hercul. Œtæi act. 2. ℣. 683. pag. 631.
[k] De Aſtrolog. pag.438., Gall. pag.565., Icaromenipp. p. 571.
[l] Lib. 12. de Bello Punic. ℣. 88. pag. 389.
[m] Fab. 40. pag. 102.
[n] Dio Chryſoſtomus Orat. 4. pag. 39., & Orat. 72. pag. 310., Servius Æneid. VI. ℣. 14. pag. 722.
[o] Vide Montfaucon. part.. 1. Antiq. Expliq. p.76. tab.36. n.3.
[p] Videatur Begerus Spicileg. Antiq. pag. 64.
[q] Diodorus lib. 4. n. 76. p. 319., Themiſtius Orat.26.p.316.
[r] Lib. 4. nnm. 76. pag. 320.
(s) Lib. IX. cap. XI. pag. 732.
(t) De Incredibilibus cap. 13. pag. 23.
(u) In Theogon. ℣.215. pag.41., & ℣.334. pag.63.
(x) Apollonius lib-IV. ℣.1433. & ſeq.p.509.Lugd. Batav.1647,
(y) Hercul. Furent. ℣. 396. p. 605. Baſileæ 1562.
(z) De Incredibilibus cap. 19. pag. 27.
(aa) Cap. 4. Cataſteriſm. pag. 101.
(bb) Lib. 4. num. 26. pag. 271.
(cc) Æneid. IV. ℣. 484. & 485.
(dd) Metamorph. IV. ℣.642. & ſequent.

que [a] Heſpero Atlantis ftatri [b] tres fuiſſe filias finxerunt, Æglen, Arethuſam, Heſperethuſam, Heſperides a parente ſuo nuncupatas. Eæ ſuis in hortis, in ultima Æthiopiæ [c] parte ſitis, aurea poma ſervare: hortorum autem quaſi in ſtatione poſitus draco immanis dicebatur. Eo igitur profectus Hercules, interempto dracone, aurea poma abſtulit, atque ad Euryſthæum regem tulit, quod eo jubente [d] facinus illud aggreſſus eſt. Quam quidem rem ſpectans Caraccius, primo quidem Jovem in nubibus dextera præferentem ignem; tum Herculem pelle indutum Leonis, & clavam contra draconem protendentem fecit, qui ad arboris cuſtodiam, aureis pomis onuſti manet. Etſi enim ſagittis Herculem intermiſſe draconem Apollonius [e] narret, antiqua tamen non deſunt monumenta [f], in quibus cum hæc ipſa fabella refertur, tum Hercules clava armatus, atque ea contra draconem pugnans viſitur; quod maxime ſpectandum exhibet nummus Geta Imperatore cuſus, atque a Triſtano [g] relatus. Spanhemius [h], & Deylingius [i] hac in fabella primæ parentis facinus, decerpentis pomum ex arbore ſuaſu ſerpentis, adumbratum putant. Sed ego non video, quid Evæ ſcelus cum ea Herculis pugna commune habeat. Nam, ut omittam inepte prorſus ad fœminam referri, quæ a viro geſta perhibentur, quis non intelligat hujuſmodi in fabella rem contineri, quæ ad Evam referri nulla ratione poteſt? Nemo enim draconem ab Eva interemptum dixerit, quem miſerandum in modum viciſſe Evam ſciat. Nemo abjecti & mollis animi argumentum triſtiſſimum, quod in Eva dolemus, cum fortitudinis veſtigio maximo, quod in Hercule demiramur componat. At cujus generis Heſperidum poma fuerint, quæ Hercules abſtuliſſe dicitur, non parva eſt inter Scriptores dubitatio. Nam Varro [k], Diodorus [l], Palephatus [m], & Servius [n] aurea hæc poma, a græca voce Μῆλα oves interpretantur. Hinc virum Mileſium, Heſperum nomine, Carum inhabitantem fuiſſe dicunt, cui oves pulchræ cum eſſent, quas vir quidam Draco nomine cuſtodiret, interemptus ille ab Hercule, ſublatiſque ovibus, fabulæ locum dedit. Bochartus [o] aurea mala interpretatur divitias, & fabulam a Poëtis confictam dicit, quo divitiarum Atlantis opulentiam exprimerent. Alii [p] Herculem Solem eſſe volunt, & mala aurea aſtra eſſe dicunt. Bodæus a Stepel [q] mala Heſperidum cotonea fuiſſe contendit. Alii [r] cum citriis, alii [s] cum aurantiis eadem eſſe ſtatuunt, quæ ex Africa in Europam ab Hercule primum advecta, hujuſce omnis commenti origo fuerint. Atque hæc quidem ſententia priori illa, quæ Heſperidum mala oves interpretatur, veroſimilior videtur, quod omnes hortos Heſperidum memorent, nemo paſcua in quibus oves verſantur. TA-

(a) Apollodor. lib.2.p.31., Heraclitus de Incredilib.cap.20.p.76., Lucanus Pharſal.IX. ℣.365.,p.635., Albricus de Deor. Imagin. cap.22.p.932., Hyginus fab.30. p.87., Tzetzes Chilind. II. 36. ℣.275.p.296., Fulgentius Virgilian. Continent. pag.755.
(b) Diodorus lib.4. num.27. pag.272.
(c) Lactantius in Stat. lib.2. Thebaid.℣.281. p.57. Pariſis 1600., Salmaſius Exercitat. Plinian. in Solin. p.264. 265.
(d) Hygin. fab.30.p.81.& 87., Servius in IV.Æneid.℣.484.p.629.
(e) Lib.IV. ℣.1441. p.510.
(f) Vide Begerum Spicileg. Antiquit. p. 154., Spanhemium de Uſu & Præſtant.Numiſmat. p.331. t.1., Buonarroti Medaglio- pag. 184.
(g) Tom. II.p.285. Adde Eratoſthenem Cataſterim.cap.4. p.101.
(h) Obſervat. in Callimach. pag. 670.
(i) Sacrar. Obſervat. part. 1. pag.28.
(k) De re Ruſtic. lib. 2. cap.1. pag.59.
(l) Lib. 4. num. 27. pag. 272.
[m] De Incredibilib. cap. 19. pag. 27.
[n] In IV. Æneid. ℣. 484. pag.629.
[o] Chanaan lib.1. cap.24. pag.521. Francofurti 1681.
[p] Vide Scholiaſt. Heſiodi pag.249. edit. Heinſii.
(q) In Notis ad Theophraſtum lib. 4. Hiſtor. Plantarum p. 338. & 340. Amſtelodami 1644.
(r) Juba Rex apud Athenæum lib. 3. cap. 7. pag. 83.
(s) Salmaſius Exercitat. Plinian. in Solin. pag. 670. 671. 672. Spanhemius de Uſu & præſtant. Numiſmat. pag. 333. Clericus in notis ad Heſiodum Theogon. ℣. 215. pag. 40. & 41. Amſtelodami 1701.


Tab XXVIII 1
Ann. Caracci in
C Cesi f.
Arnoldi V Westerhout formis cũ Privil S


Tab XXVIII 2.

TABULA XXVIII.

CALLISTO GRAVIDA DEPREHENSA, ET IN URSUM CONVERSA.



Alliſtonis, Dianæ comitis, amore captus Juppiter, cum pellicere eam ad amorem ſui non poſſe intelligeret; Dianæ [a], ſeu Apollinis, quæ aliorum [b] eſt ſententia, vultum faciemque indutus, invitam licet ac reluctantem [c] compreſſit. Quod facinus cum aliquandiu obtexiſſet, tandem juſſa cum reliquis virginibus lavari, atque eam ob rem nudata, propter tumorem uteri detecto crimine, a Diana e cœtu ſuo ejicitur. Quod ubi Junoni innotuit, quæ jampridem criminis certior [d] facta, opportuna in tempora differebat pœnas, illam in urſam convertit. Rem ab Apollodoro [e], Propertio [f], Germanico [g], Ovidio [h], Libanio [i], Hygino [k] aliiſque [l] deſcriptam, duabus hiſce in tabellis elegantiſſimo artificio expreſſit Caraccius. Principio enim Dianam nudam fecit, quæ prope fontem ſedens, dextera quidem prægrandem ſagittam tenet, ſiniſtram autem extendit, quaſi mandans puellis ſuis, ut Calliſtonem nudent: tum Calliſtonem ipſam nudatam jam, & ventris tumorem fruſtra celare nitentem, quod aliæ duæ Nymphæ rem omnem patefaciant: poſtremo autem Junonem, quæ Dianæ venatricis habitum indutæ, Calliſtonem in urſam converſam oſtendit, fortaſſe ſagittis ut illam conficiat; nam Dianæ id ſuaſiſſe Junonem Apollodorus [m] affirmat. Diana, Lunæ dum creſcit, imaginem capite gerit, qua in antiquis etiam monumentis [n] ornata conſpicitur: Junoni autem pavo adeſt, quæ avis priſcis temporibus cum ſacra [o] illi erat, tum ejuſdem veluti ſymbolum [p] habebatur. Euripides in Helena [q] Calliſtonem non in urſam, ſed in leænam converſam dicit: alii autem etſi in urſam converſam fateantur, non id tamen a Junone factum volunt, ſed vel a Jove ipſo, quo crimen ſuum uxori tegeret; vel a Diana, quod ventris tumorem in Deam ipſam contuliſſet Calliſto. Audiatur Hyginus [r], qui de Calliſtone loquens ita

(a) Ovidius Metamorph. 11. ℣. 425., Hyginus lib. 2. Aſtronomic. cap. 1. pag. 419.
(b) Vide Apollodorum lib.3. Biblioth. cap.8. §.2. pag. 189.
(c) Ovidius Metamorph. II. ℣. 434.
(d) Ovidius Metamorph. 11. ℣. 466.
(e) Lib. 3. Biblioth. cap.8. §. 2. pag.189.
(f) Lib.2. Eleg. 19. ℣. 23. pag.457.
(g) Arat. Phænomen. pag.162.
(h) Metamorph. 11. ℣. 409. & ſequent., Faſtor. 11. ℣. 162., Heroid. XVIII. ℣. 150., & 11. de Arte amandi ℣. 55.
(i) Narration. cap. 6. pag. 53.
(k) Aſtronomic. II. cap.1. pag. 419., fab. 177. pag. 294.
(l) Theo in Aratum pag.7., Lactantius fab.V. lib.2. pag. 797.
(m) Lib. 3. Biblioth. cap.8. §. 2. pag.189.
(n) Vide Begerum t. 1. pag.64., & t.2. pag.228., Montfauconium t.1. Antiq. Expliq. part.1. pag.148. tab.87. & 88., & t.1. Supplement. pag.107. tab.41. & 42.
(o) Videantur Pauſanias lib.2.cap.17.pag.148., Fulgentius lib.2. Mytholog. cap. 3. pag. 668., Albricus cap. XI. pag.918.
(p) Videantur Montfauconius t.1. Antiq. Expliq. part. 1. tab. 21. num.5. pag.56., & t. 1. Supplem. pag. 57. tab. 19. num. 1., Vaillant. t. 1. Numiſmat. Imperat. pag. 103., 107. 207. 218., & t.2. pag.155.
(q) ℣. 384. pag. 529,
(r) Aſtronomic. 11. cap. 1. pag.419.

ita ſcribit; *rogata a Diana quid ei accidiſſet, quod tam grandi utero videretur, illius peccato id eveniſſe dixit. Itaque propter ejus reſponſum, in urſam eam Diana convertit . . . ſed alii dicunt, cum Calliſto Jupiter eſſet in ſilvam perſecutus, Junonem ſuſpicatam id, quod evenit, contendiſſe, ut eum manifeſto diceret deprehendiſſe. Jovem autem, quo facilius ſuum peccatum tegeretur, in urſæ ſpeciem converſam reliquiſſe.* Palephatus in libro de Incredibilibus [(a)] hujuſce fabellæ hanc affert originem, inquiens : *de Calliſtone eſt ſermo; ſcilicet illam inter venandum in urſam commutatam. At mea quidem ſententia illam crediderim venatione occupatam, ab obvia in monte urſa devoratam eſſe; ipſos vero, qui una venarentur, videntes eam prope urſæ cubile, neque inde redeuntem, mox transformatam in urſam puellam, proclamaſſe.* Addunt Mythologi [(b)] Calliſtonem in urſam converſam, a Jove in cœlum fuiſſe relatam; eamque cœleſte illud ſignum eſſe, quod a Græcis Arctos, a Latinis urſa minor dicitur. Sed Ægyptii [(c)] ſignum iſtud animam Typhonis in ſtellas translatam, & in cœlo fulgentem ajunt.



TA-

(a) Cap.15. pag.24. Amſtelod. 1688.
(b) Ovidius Faſtorum II. ℣. 188. pag. 81., Hyginus Aſtronomic. II. cap.1. pag. 419.
(c) Plutarchus de Iſide & Oſiride t. 2. pag.357.


Tab. XXIX. 1


Tab. XXIX. 2.

TABULA XXIX.

I. II.

PROMETHEUS AC MINERVA, ET HERCULES VINCULIS SOLVENS PROMETHEUM.



On magnopere hic mihi divinandum video, ut cujus rei imaginem tabellæ hæ duæ referant, exponam. Quiſquis enim eas intuetur: priorem quidem Prometheum referre oſtendentem Minervæ hominem ab ipſo formatum: alteram vero Herculem exhibere catenis ſolventem Prometheum, quibus in monte Caucaſo (a), Jovis juſſu (b), a Mercurio & Vulcano (c) fuerat devinctus, facillime intelligit. Nam Prometheum e ſaxo ſculpſiſſe (d) homines, aut quod alii (e) volunt aqua & terra formaſſe: Minervam autem animam iiſdem indidiſſe (f) veteres finxerunt. Quo ſpectans Caraccius Minervam fecit indicantem Prometheo vim cœleſtem, & immortalem animam, quod nimirum ſtatua ab eo facta, vita vacua eſſet, ac ſpiritu. Prometheus artificis inſtar indutus eſt: Minerva autem galea inſignis, & haſta, quæ illius ſunt ornamenta (g), ea plane ratione depicta eſt, qua in antiquis monumentis (h) apparet, ex quibus hæc ipſa etiam imago, de qua ſermo eſt, deſumpta videtur. Extat enim apud Bellorium (i) lucerna quædam, hinc Prometheum referens oſtendentem Minervæ hominem a ſe formatum, inde Minervam animantem ſtatuam illam; quam quidem imaginem huic tabellæ perſimilem dicas. Nam quæ ſequitur imago, ea nudum Prometheum in primis exhibet, qui catenis manibus ac pedibus injectis, ingenti monti alligatus manet, pedibus in altum, capite autem deorſum verſo; deinde Herculem, qui leonis pelle, ut fere ſemper (k), obtectus, Prometheum catenis ſolvit; demum aquilam jacentem humi, ſagitta confixam ab Hercule, qui propterea arcum ſiniſtra tenet. Hæc autem fabellam illam a Poëtis decantatam ſpectant, qua Prometheus a Jove Caucaſo monti catenis [l] alligatus dicitur, & immiſſe aquila, quæ hepar illius carpendo attereret, propterea quod in cœlum relatus, ignem furatus eſſet, atque hominibus tradidiſſet: quam pœnam ut triginta [m] annos Jovi expendit, tum Her-

---

(a) Arrianus Peripl. Ponti Euxin. pag. 12., Strabo lib. xv. p. 688., Lucianus in Dialog. p. 54., Hyginus Aſtronom. II. cap. xv. p. 456.
(b) Apollodorus lib. 1. Bibl. cap. 7. §. 1. pag. 21., Lucianus in Promoth. p. 47., Hyginus fab. 144. pag. 251.
(c) Apollodorus lib. 1. pag. 21., Lucianus in Promoth. pag. 47., Hyginus fab. 144. p. 251.
(d) Vide Montfauc. t. 1. Antiq. Expliq. part. 1. pag. 24.
(e) Apollodorus lib. 1. c. 7. §. I. p. 21., Phurnutus de Natur. Deor. c. 18. p. 179., Horatius lib. I. Ode XVI. ℣. 13. p. 47., Propertius lib. 3. Eleg. 3. ℣. 29. pag. 495., Ovid. Metamorph: I. ℣. 82., Phædrus lib. IV. fab. 14. pag. 280., Lucianus in Prometheo pag. 50.
(f) Lucianus Prometh. pag. 50., Hyginus fab. 142. pag. 249.
(g) Vide Bellor. Obſervat. ad Veter. Lucernas part. 2. fig. 39. p. 71. t. XII. Antiquit. Græcar., Begerum t. 3. p. 697. & 707., Montfauconium Antiq. Expliq. t. 1. part. 1. tab. 79. 80. 81. p. 140., Albricum de Deor. Imaginib. cap. 8. p. 913..
(h) Vide Bellor. Obſerv. ad Lucernas Veter. part. 2. fig. 39. p. 71., Montfauconium t. 1. Antiq. Expliq. part. 1. p. 140. tab. 79. n. 3. 4. 5., tab. 80. n. 3., & tab. 81. num. 1.
(i) Obſervat. ad Lucern. Veter. part. 1. tab. 1. fig. 1. pag. 3.
(k) Plutarch. Vit. Theſei p. 5. t. I., Albricus de Deor. Imag. c. 22. p. 932., Hyginus fab. 30. p. 82., Servius Æneid. VIII. 295. p. 896.
(l) Æſchylus Prometh. Vinct. ℣. 71. p. 23., Heſiodus in Theogon. ℣. 521. p. 91., Diodorus lib. 4. n. 15. p. 261., Catullus Carm. 63. ℣. 296. pag. 125., Hyginus Aſtronomic. II. cap. 15. p. 456.
(m) Hyginus fab. 54. pag. 119.

Hercules ad Caucaſum montem fortuito [a] veniens, aut quod volunt alii [b] a Jove miſſus, Aquilam ſagittis confixit, & Prometheum catenis ſolvit. Quam fabellam cum vetuſta monumenta [c] exibent, tum Æſchylus [d], Heſiodus [e], Apollodorus (f), Phurnutus (g), Diodorus (h), Pauſanias (i), Hyginus (k), aliique (l) referunt, ac præſertim Lucianus (m), qui rem totam Dialogo perſequutus eſt elegantiſſimo; quem imitatus videtur Caraccius in Caucaſo potiſſimum monte depingendo. Relandus (n) huic fabellæ originem dediſſe putat opinionem quamdam veterum Perſarum, qua putabant Heroes ex Adamo genitos, malos quoſdam Genios viciſſe, & Caucaſum in montem relegaſſe. Alii (o) ea in fabella malorum Angelorum interitum adumbratum volunt. Sed nugæ eæ ſunt, cum jam non in Caucaſo monte, ſed ad inferos detruſos Dæmones conſtet. Bochartus (p) Magog ipſum vult eſſe Prometheum, quem Caucaſo monti alligatum veteres finxiſſe dicit, *quia vel ipſe, vel gens Scytharum ab illo oriunda in Caucaſo fixit ſedes, & ignem e cælo in terram detuliſse, quia metallis omnigenis in Soanis, & Cholchade, & Iberia effoſſis, artem metalla igne excoquendi aut invenit, aut a Tubalcaino inventam reſtituit*. Tradit eamdem explicationem Joannes Clericus (q). At Banierus (r) Prometheum Caucaſo alligatum veteres dixiſſe putat, quod eo fugerit iram veritus Jovis Cretenſium regis, ubi cum Aſtrologiæ toto animo ac ſtudio incumberet, ac quotidianis exercitationibus, ſeu potius moleſto adeo vitæ genere pene conficeretur, Aquilam illius hepar carpendo atterere dixerunt. Nam homines formaſſe iccirco inventum dicit (s), quod Scythas Caucaſum incolentes ſilveſtres & exleges, manſuetos, ac morigeros fecit, eoſque Arithmeticam, Aſtronomiam, literarum conjunctiones, Medicinam, venationes, domorum ædificia, atque Agriculturam docuit. Profecto Æſchylus (t) Prometheum inducit artium omnium inventionem tribuentem ſibi; & Diodorus (u) Silicem inveniſſe dicit, exquo ignis extunditur, quæ res in cauſa fuerit, ut qui fabellas commenti ſunt, ignem Diis ſurripuiſſe, atque hominibus tradidiſſe dixerint. Lactantius (x) quoque Prometheum omnium primum ſtatuas & ſimulachra feciſſe contendit, atque eam ob rem Poëtas formaſſe homines fuiſſe mentitos. Alii alia dicunt, quæ omnia fuſius perſequi non eſt otii; quamobrem qui plura volunt, Fulgentium (y), Servium (z), Perizonium (aa), Huetium (bb), Sabinum (cc), atque Banierum (dd) conſulant.

TA-

(a) Hyginus Aſtronomic. II. cap. xv. p.457.
(b) Servius Eclog. vi. ℣. 42. pag.61.
(c) Vide Begerum Hercul. Ethnicor. tab. xv., Bellor. Obſervat. ad Lucern. Veter. part.1. fig. 3. pag.5., Montfauconium tom.1. Antiq. Expliq. part.2. tab.131. pag.214.
(d) Prometh. Vinct. ℣.7. 71. 109. p.7. 13. & 17. Londini 1664.
(e) In Theogonia ℣. 521. & ſeq. pag. 91. & ℣. 565. pag. 95.
(f) Lib. 1. Biblioth. c.7. n.1. p. 21., & lib.2. cap. 5.n. xi.p.119.
(g) De Natur. Deorum cap.18. pag.179. & 180.
(h) Lib. I. Biblioth. n.19. p.22., & lib. IV. num.15. p.261.
(i) Lib.V. cap. xi. p.402.
(k) Lib. 2. de Vita Apollonii cap.3. pag.51.
(l) Fab. 54. pag. 119., fab.144. p.252., & lib. 2. Aſtronomic. cap.15. pag.456.
(m) Catullus Carm.63. ℣.294. pag.125., Heraclides Allegoriar. Homeri p.123., Fulgent. lib.2. Mytholog. cap.9. pag.679.
(n) Prometh. pag.47., Dialog. Jovis & Prometh. pag.54.
(o) Diſſert. VIII. n. 45. pag. 156. part. 2. Diſſert. Miſcellanear. Trajecti da Rhenum 1707. Vide Banier t.3. Mytholog. pag.467
(p) Phaleg. lib.1. cap.2. pag.12. t.1. Oper.
(q) In Notis ad Heſiod. Theogon. ℣.523. pag.90.
(r) Tom.3. Mytholog. pag. 467. & ſequent.
(s) Tom. 3. Mytholog. pag.469.
(t) Prometh. Vinct. ℣. 450. & ſequent. p. 51. & ℣.505. p.55.
(u) Lib. v. num. 67. pag. 384.
(x) Lib.2. Divin. Inſtitut. cap.10. pag. 231.
(y) Lib.2. Mythologic. cap.9. pag. 681.
(z) In Eclog. VI. Virgilii ℣. 42. pag.61.
(aa) In Notis ad Ælianum lib.12. Var. Hiſtor. cap.25.
(bb) Demonſtrat. Evangelic. Propoſit. IV. cap.8. n.7. p.121.
(cc) Interpretat. Fabular. Ovidii pag.7.
(dd) Tom.3. Mytholog. pag.466. & ſequent. Paris 1739.

Tab. XXX 1



Tab. XXX 2



Tab XXX 3.



Tab XXX 4.



TABULA XXX.

I. II. III. IV.

TEMPERANTIA, CHARITAS, JUSTITIA, FORTITUDO.



Ucuſque Caraccius tabellis ſuis, quas elegantiſſime, ut vidimus, ſummoque artificio depinxit, Amoris regnum, quod Bellorius (a) obſervat, vim, poteſtatemque declarare voluit. Sed virtutes quatuor Temperantiam, Charitatem, Juſtitiam, Fortitudinem, quæ ad Amoris impetum cohibendum maxime valent, conjunxit, quo doceret Amoris vires ejuſmodi non eſſe, ut aliqua ratione vinci frangique non poſſint. Ac Temperantiam quidem, quæ prima inter illas eminet, forma, ornatu muliebri, ætate matura depinxit; & quæ ſeveritatem quamdam, ac majeſtatem retinens cum geſtu tum habitu, frænum manibus tenet, quod frænum illius ſymbolum (b) habeatur. Alii tamen ſymbolum Temperantiæ taurum (c), vel elephantem (d) ponunt; & veteres Nemeſi ſcelerum ultrici (e) frænum tribuiſſe accepimus, quod ex veteri quodam Epigrammate intelligimus, quod in Anthologia (f) legitur. Caterus ſuo in opere de Virtutibus (g) Temperantiam exhibet inſidentem curru, & manibus moderantem frænos, quibus pueros, juvenes, puellas, & leones regit. Sed mihi Caracci imago gravior videtur, & elegantior. Jam vero Charitas, quæ pone Temperantiam eſt, tota amorem ſpirans, ac puerulos duos ulnis complexa eoſdem lactat. Veteres hac ferme ratione cum Pietatem effingebant, uti in nummis Marci Aurelii (h), Antonini (i), Sabinæ (k), Plautillæ (l), Matidiæ (m) & Theodoræ (n) Auguſtarum videmus; tum Fœcunditatem (o), Spem (p), Salutem (q), atque Pudicitiam (r). Sed noſtri eam imaginem ad Charitatem tranſtulere, quod ex nummis potiſſimum Leonis X. (s), Hadriani VI. (t), & Pauli IV. (u) intelligimus, in quibus Charitas ſedens conſpicitur, quæ pueros duos ulnis complectitur, tum vero alii duo infantes ſpectantur, qui prope illius humeros manent. Juſtitia, quæ tertio ſuccedit loco, aſpectu quidem jucunda, ſed majeſtate plena, altera faces & ſecurem tenet, altera autem libram ſuſtinet. Et Faſces quidem Juſtitiæ ſymbolum habuiſſe antiquos Æneas Vicus (x), Pierius Valerianus (y), Vaillantius (z), & Begerus (aa) tradunt. Quamobrem Magiſtratuum

(a) Vite de Pittori e Scultori part. 1. pag. 65. Roma 1672.
(b) Pierius Valerianus Hieroglyphic. lib. 36. pag. 347.
(c) Pierius Valerianus Hierogl. lib. 52. pag. 508.
(d) Capaccio Impreſe lib. 2. cap. 7. pag. 18.
(e) Catullus Epiſt. 50. ℣. 20. pag. 70. Patavii 1710.
(f) Lib. IV. cap. 12. n. 72. pag. 663.
(g) Pag. 22. Antverpiæ 1645.
(h) Choul della Religione degli Antichi Romani pag. 110,
(i) Angeloni Storia Auguſta pag. 171. n. 3., & pag. 172. n. 39.
(k) Angeloni Storia Auguſta pag. 149. n. 70.
(l) Angeloni pag. 258. n. 31.
(m) Vaillant Numiſmata Imperator. t. 1. pag. 56.
(n) Begerus t. 3. Theſaur. Brandemburg. pag. 788., Vaillant t. 1. Numiſmat. Imperat. pag. 268.
(o) Vide Numiſmata Lucillæ, Etruſcillæ, & Fauſtinæ Augg. apud Oiſelium Theſaur. Numiſmat. Antiquorum tab. 84. n. 5. 6. 9. pag. 433. Amſtelodami 1677.
(p) Vide Numiſma Fauſtæ Auguſtæ apud Begerum t. 3. pag. 806.
(q) Vide Numiſma Fauſtæ Aug. apud Begerum t. 3. pag. 806.
(r) Vide Numiſma Fauſtinæ Junior. apud Oiſelium tab. 84. n. 10. pag. 433.
(s) Bonanni Numiſmat. Roman. Pontific. t. 1. pag. 162. Romæ 1699.
(t) Venuti Numiſmat. Roman. Pontif. pag. 65. n. 9. Romæ 1744.
(u) Bonanni Numiſmat. Roman. Pontific. t. 1. pag. 271. n. 23.
(x) Cæſarum Imagines Indic. verbo *Faſcis* edit. anni 1554.
(y) Hierogl. lib. 42. pag. 415.
(z) T. 2. Numiſmat. Imperat. pag. 1.
(aa) T. 2. Theſaur. Brandemburg. pag. 86.

insigne penes Romanos [a] eas fuisse accepimus, cujus rei rationem inquirens Plutarchus [b] ait: illas propterea Magistratibus a Romanis tributas fuisse, quo subjudicarent non omnia crimina pari animadversione esse coërcenda, sed quædam virgis corrigenda, atque emendanda, quædam autem securi penitus abscindenda. Alii tamen non fasces, sed gladium Justitiæ tribuunt; quod in nummis Innocentii VIII. [c], Julii II. [d], Leonis X. [e], & Pauli IV. [f] videmus. Alii hastam, & pateram, quæ Justitiæ symbola Hadriani [g], atque Alexandri Severi numismata exhibent. Alii hastam & palmam, quod symbolum spectandum præbet nummus Nervæ Imperatoris a Begero [h] relatus. Nam libram Æquitati [i] (quam non Justitiam ipsam, sed Justitiæ partem credebant [k]) Fortunæ [l] etiam, Nemesi [m], Mercurio [n], & Deæ Monetæ [o] Veteres persæpe, raro [p] autem Justitiæ, tribuisse constat. Hinc Justitiam tenentem libram in uno tantum Pescennii [q] nummo videas; etsi subsequutis temporibus [r] cum libra pingi Justitia cœperit, quod ex nummis potissimum Innocentii VIII. [s], Julii II. [t], Leonis X. [u], & Pauli IV. [x] intelligimus. Aulus Gellius [y] Chrysippum Justitiam fecisse narrat: *forma atque filo virginali, aspectu vehementi, & formidabili; luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate.* At Pausanias [z] in Arca Cypseli Justitiam fuisse memorat pulchritudine eximia, sinistra Injuriam facie deformi trahentem, dextera vero cædentem fuste. Quin alii, ac præcipue Ægyptii [aa] Justitiam faciebant carentem capite, ac sinistram extendentem. Quæ postremo loco spectanda proponitur Fortitudo, ea facie atque habitu ejusmodi est, ut fere conscia suarum virium videatur. Nam prope basim columnæ sedens, columnam dextero brachio sustinet. Jacet ad ejus pedes leo, cui sinistram imponens docet hominis fortitudine immanes etiam belluas mansuescere. Veteres columnam symbolum Providentiæ [bb], Constantiæ [cc], Securitatis [dd], ac Stabilitatis [ee] ponebant. Coronam vero populeam signum Fortitudinis [ff]. Leonem autem cum typum Custodiæ [gg], & Vigilantiæ [hh] existimarent, tum symbolum habebant roboris, atque Fortitudinis [ii]; quamvis ad Fortitudinem significandam, Herculis [kk] & Martis [ll] imagines persæpe adhibuisse constet.

TA-

(a) Videantur Cicero Orat. 2. contra Rullum n. 92., Plinius lib. 16. cap. 18., Silius Italicus lib. VIII. de Bello Punic. ℣. 484., Kippingius Antiquit. Romanar. lib. 2. cap. 4. n. 7. pag. 459., Begerus t. 2. Thesaur. Brandemburg. pag. 362. 363.
(b) Quæstion. Romanar. pag. 283. t. 2. Oper. Francofurti 1620.
(c) Bonanni Numismat. Roman. Pontific. pag. 107. t. 1. n. 4.
(d) Bonanni pag. 139. t. 1. n. 17.
(e) Bonanni pag. 163. t. 1. n. 3.
(f) Bonanni pag. 263. t. 1. n. 10.
(g) Angeloni Storia Augusta pag. 147. n. 14.
(h) Angeloni Storia Augusta pag. 276.
(i) Tom. 3. Thesaur. Brandemburg. pag. 642.
(k) Vide Numismata Elagabali apud Begerum t. 2. pag. 141.; Nervæ, Taciti, Probi apud Begerum t. 3. pag. 642. 763. 768.; Galbæ, Vitellii, Severi apud Oiselium tab. 62. n. 10. 11. 12. pag. 359.; Maximini apud Buonarrot. Medaglioni tab. 13. n. 1. pag. 246.; Vespasiani, Antonini, Pertinacis, & Macrini apud Angelon. pag. 80. n. 10. pag. 172. n. 31. pag. 222. n. 6., pag. 267. n. 3.
(l) Angeloni Storia Augusta pag. 222., Buonarroti Medaglioni pag. 246., Choul Religione degli Antichi Romani pag. 102.
(m) Vide Cantacuzenum lib. 3. Histor. cap. 53. Parisiis 1645.
(n) Patini Numismat. Roman. Imperator. pag. 250. Argentinæ 1651.
(o) Gorius Gemmæ Antiq. Musei Medicei pag. 153.
(p) Erizzo Medaglie pag. 280. & 301. Venezia 1559., Begerus t. 3. pag. 786., Buonnaroti Medaglioni tab. 21.
(q) Vide Antonium Augustini Dialog. 2. sopra le Medaglie pag. 45. Roma 1698., Montfauconium Antiq. Expliq. t. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9. n. 1. pag. 353.
(r) Wilde Numismat. Antiq. tab. 21. n. 128. pag. 176.
(s) Vide Montfauconium Biblioth. Coislinian. pag. 136.
(t) Bonanni Numismat Roman. Pontific. t. 1. pag. 107. n. 4.
(u) Bonanni t. 1. pag. 139. n. 17.
(x) Bonanni t. 1. pag. 163. n. 3.
(y) Bonanni t. 1. pag. 263. n. 10.
(z) Lib. 14. Noct. Atticar. cap. 4. pag. 383.
(aa) Lib. V. cap. 18. pag. 422.
(bb) Diodorus lib. 1. Biblioth. n. 96. pag. 108.
(cc) Vaillant Numismat. Imperat. t. 3. pag. 20.
(dd) Museum Odeschalch. t. 2. tab. 19. pag. 44.
(ee) Erizzo Medaglie pag. 413. 460. 559.
(ff) Rubenius Numismat. Regum & Imperat. pag. 77. n. 22.
(gg) Ovidius Heroid. Epist. IX. ℣. 64. pag. 118., Minois in Alciati Emblem. CCXII. pag. 887. Patavii 1661.
(hh) Landi selecta Numismata pag. 67. Lugduni Batav. 1697.
(ii) Pierius Valerianus Hieroglyphic. lib. 1. pag. pag. 2., Ciampini Vetera Monumenta t. 1. cap. 3. pag. 31.
(kk) Erizzo Medaglie pag. 144. 330. 374., Minois in Alciat. Emblem. XXIX. pag. 170. 171.
(ll) Vide Erizzo Medaglie pag. 354., Oiselium Thesaur. Numismat. Antiq. tab. 64. n. XI. pag. 365., Begerum t. 3. Thesaur. pag. 573.
(mm) Erizzo Medaglie pag. 499.


Tab XXXI.
Cesius fecit.
Westerhout formis.
Cum Privil. S. Pontifici.

TABULA XXXI.

UNICORNIS FARNESIÆ GENTIS SYMBOLUM.



ERrare eos non dubito, qui animal, quod hic ſpectamus, Rhinocerotem vocandum putant [a]. Rhinoceros enim, quem duobus ab hinc annis Romæ vidimus ipſi; cum ea de qua agimus bellua commune nihil habet; ſed ejus forma, habitus idem omnino eſt, atque a Pierio Valeriano [b], & Bartolino [c] exhibetur. Eſt itaque Monoceros, ſeu Unicornis appellandus. Hujus belluæ effigiem, quam expreſſit Caraccius habemus in veteri quodam monumento apud Montafauconium [d]; tum apud Geſnerum [e], Camerarium [f], & Jonſtonum in Quadrupedum Hiſtoria [g]. De eo complura, eaque vix ſecum cohærentia Plinius [h], Philes (i), Ælianus (k), Solinus (l), Varthomannus (m) Æmilianus (n), Baccius (o), Cardanus (p), Scaliger [q], Aldrovandus (r), Bochartus (s) aliique (t) narrant; quæ huc referre etſi opportunum minime exiſtimemus, illud tamen reticendum non putamus, quod Euſtathius [u], Iſidorus [x], Tzetzes [y], Petrus Damiani [z], Albertus Magnus (aa), aliique referunt: Unicornem nimirum ad puellarum aſpectum ita ſtatim manſueſcere, ut earum in ſinum volens, ac libens prolabatur. Id enim maxime ſpectandum exhibet Tabella hæc noſtra, in qua virgo pulcherrima viſitur, quæ ad arboris umbram ſedens, Unicornem gremio excipit, eique adblanditur. Qua imagine Farneſiæ Gentis ſymbolum Caraccium expreſſiſſe non dubito (bb), quod Paulus III. cætera inter Emblemata (cc), etiam Unicornem haberet. Quambrem in Numiſmate quodam ejuſdem Pauli, quod Bonannius [dd] refert, Unicornem videas, qui cornu in flumen conjecto ſerpentes fugat.

TA-

(a) Palazzi Impreſe Diſcorſo 1. pag. 41. Bologna 1575.
(b) Hieroglyphic. lib. 2. pag. 20.
(c) De Unicornu cap. 21. pag. 172. Amſtelodami 1678.
(d) T. 1.Supplem. tab. 59. n. 2. pag. 156.
(e) Hiſtor. Animal. lib. 1. pag. 781. Tiguri 1551.
(f) Symbolor. Centur. 2. n. 12. & 13. pag. 14. & 15.
(g) Lib. 1. cap. 6. tab. x. & xi. pag. 22.
(h) Lib. 8. cap. 31. pag. 449.
(i) De Animal. Propriet. n. 36. pag. 223. t. 2. Corp. Veter. Poet. Græcor. Comicor.
(k) Hiſtor. Animal. lib. 16. cap. 20. pag. 888.
(l) Polyhiſt. cap. 65. pag. 129. Baſileæ 1543.
(m) Itinerario lib. 1. cap. 18. fol. 14. 15. Venezia 1517.
(n) Ruminant. Hiſtor. Syntagm. iv. pag. 76. Venetiis 1584.
(o) Diſcorſo dell' Alicorno pag. 44. & ſequent. Operis inſcripti *le XII. Gemme Pretioſe*.
(p) De Subtilitate lib. x. pag. 531. t. 3. Oper. Lugduni 1663.
(q) De Subtilitat. Exercitat. 205. pag. 659. Francofurti 1612.
(r) De Quadruped. ſolipedib. lib. 1. cap. 6. pag. 384. Bononiæ 1616.
(s) De Animalib. ſacræ Script. lib.3.cap.26. pag.933.t.1.Oper.
(t) Marco Polo Viaggi cap. 125. pag. 110. Venezia 1592.
(u) In Hexaemer. pag. 40. Lugduni 1629.
(x) Originum lib. 12. cap. 2. pag. 286. Baſileæ 1577.
(y) Chyliad.V. 7. pag. 345.
(z) Lib. 2. Epiſt. 18.
(aa) De Animalibus lib. 22. pag. 608. t. 6. Operum.

TABULA XXXII. ET XXXIII.


ATLANTES TABULAS PERSEI ET ANDROMEDES SUSTINENTES.



Tlantes ſex, quos duabus hiſce in tabellis videmus, in utraque porticus fronte depinxit Caraccius; Tabularum, quibus Perſeus & Andromedes exprimuntur, quaſi fulcrum, atque ornamentum. Nam qui principio ſedens occurrit Atlas, maximum pondus ſuſtinere videtur, curvato ad omnium virium effuſſionem corpore. Alter quoque ne molis, quam ſuſtinet gravitate obruatur, ſiniſtrum brachium, quod capiti ſuperimpoſuit, altera regit manu. Nam qui ordine tertius habetur Atlas, corpore & ipſe incurvo, dextera manu humi poſita, & ſiniſtra injecta collo vim omnem ſuam explicat. Quartus caput manibus & brachiis arcte complexus, & molem ſuſtinet, & caput protegit atque defendit. Eumdem fere geſtum exhibet Atlas ille, qui prope eum viſitur, etſi non eodem plane depictus modo, propterea quod paululum intendere brachia videatur. At ſextum, quod cæteris propter juventutem ferocior ſit, & viribus confidens ſuis, pondus vix ac ne vix curare dicas. Atque hi quidem Atlantes cum nudi ſint, tum corporis totius figura, atque habitu inſignes. Nam quiſquis illos contuetur: articulos, muſculos, totius denique corporis partes, eleganter atque apte ad multiplicem virium explicandarum rationem exprimendam, ſummo ingenio ſummoque artificio depinxiſſe Caraccium, non ſine maxima admiratione fatetur.

FINIS.







Arnold. V. Westerhout formis Romae






Tab·XXXII·





Westerhout formis Romæ



Tab·XXXIII·





INDEX RERUM.

A

B

C

D

E

F

Ga-

G

H

I

L

Lu-

M

N

O

P

F I N I S.



~~$725.00~~



SPECIAL 85-B
OVERSIZE 26573
GETTY CENTER LIBRARY

